A patientia Turcarum dominator, regionem religionemque omnem Christianorum, avara atque avida spe devorasset, & universè Europeis immane jugum minitaretur, publicus timor externi hostis concordiæ vinculum firmissimum videbatur Christiani orbis Principibus, quos patriæ communis sensus & amor affecerat; ne obliti fortunæ suæ fideique, qua conglutinati & cognominati sunt, mutuis morsibus viverent more immitium ferarum; at respiscerent tandem aliquando & in Mahometistas ferrum & flammam concordi manu converterent. Eo igitur consilio Dux Burgundiæ Philippus, cognomento Bonus, virtutum excellentia Princeps optimus, quasi visere exoptans Urbem sanctam Hierosalem, oculatam testem redemptionis, primum præcipuumque sacrarum religionis nostræ, G. Ophemum ablegaverat ad Solimanum: deindè etiam prætextu firmi alicujus fœderis, quod post multam Transylvaniæ cladem cum Imperatore coiret; atreverà ut bellum in Persam atque in nonnullos vicinos reges concitaret: imò ut intestinæ dissensionis malum, quo laborabant Christiani, & laborant modò, in truculentum tyrannum converteret: simulque ut spatium impetraret, quo principes nostri B omnes (non enim jam proximus, sed suus cuique paries ardebat) animis viribusque convenirent ac conspirarent. Proposuerant, inquam, sic Principes, & sapienter: sed proposuerant; secùs disposuit Deus. Quod plures tangebat, plures neglexere. Et dum quisque onus grave, arduum, operosum ab humeris suis depellere contenderet, & extincto pio zelo, futilia, frivola, ficta potissimùm disquireret; publicæ fortunæ mansit dedecus, & detrimentum, Turcamque imperii sui fines extendisse videmus & lugemus, quicumque vovemus prospera, dolemus adversa. Sed tum quidem ipsius Ophemi sensim fama, tanquam nivis cumulus rotando augebatur: ac tanta felicitate negotium promovere cœperat, ut periclitari Mahometismus, & fruituri viderentur Christicolæ bonis, quibus aptus aut dignus non est mundus. Cœperat, non perfecerat: floremque maximæ spei præmatura mors decerpsit. Ergo evanuit pulcherrima Legationis simulatæ molitio, optimique conatus in irritum cecidere.

Iimeniæ Thebani factum non incallidum, & prorsus Græcum circumfertur. Legatione fungebatur is pro patria apud Persarum regem. Eò ubi pervenit, apud Thraustem militum C tribunum, simul & admissionum magistrum, enixus operam dedit, uti auditetur. Cui ille: Nobis, inquit, ò hospes, patria lex est, ut quicumque ad regis congressum admittitur, cultum ei adorationis exhibeat. Id si placet, præstiteris: sin minùs, vicaria mea opera utare; & quidquid negotii credideris, regi referabo. Iimenias, cum rerum suarum pondus neque conscium ullum, neque dilationem sine periculo permitteret, ad id quod minimè cupiebat adductus magis quàm inductus: Quminò, inquit, mihi ipsi conveniendi regem copia fiat. Et intromissus tyrannicæ consuetudini satisfacere visus est, ac morem gerere imperio loci; nihil tamen transgredi instituta suæ gentis, quæ homini supra hominem præstitum decus dedecus arbitrabatur. Quippè ex composito annulum aut nescio quid rerum è manibus in ingressu elabi passus est, ut haberet, quamobrem poplitem flecteret. Sic una hostia pluribus Diis litavit, dignitati scilicet muneris, libertati patriæ, tum gratiæ regis, & negotio Legationis. Consiliique callidi-tas Iimeniam omnium quæ petierat compotem fecit, ac tanta in gratia apud regem, ut insolitis splendidisque muneribus ac honorariis dimitteretur.

D

Dolosi, Fallaces.

Talis Jugurthæ olim solers nimis versutia fuit, qui ad Aulum Proprætorem, cum nullum periculum esset, supplices Legatos misit, & spe pactionis (ut est apud Salustium) exercitum Romanum primùm muneribus corrupit, deinde armis oppressit, adeòque sub jugum misit. Omninò suspecta esse Legatio potest, quoties subdolum vastumque hostis ingenium est, & quale Jugurthæ fuit. Atque tum aut dolis doli ludendi sunt, ut simulatione imposturæ retundantur, aut certè antiquitatis exemplo, obsides petendi, ut consilia auscultantis in tuto sint.

Si doli placent, non inconsultum Grimoaldi Longobardorum Regis facinus dixerim. Is impatatus ad bellum, cùm Hunnorum Feciales venissent, & timendi viderentur, copias & terrorem insigni stratagemate mentitus est. Delectum habuit, atque eosdem milites diversis instructos armis sæpiùs tanquam novos, jussit decurrere: quo astu citiùs diem, quàm numerum finire potuit. Conversus interim ad Feciales qui B spectabant, Hisce, inquit, choreastris Hunnos tripudiare & decurrere docebo, nisi è finibus meis, actutum discesserint. Attoniti Legati abeunt, & pari metu regem suum exercitumque implent. Itaque tanquam potentiæ cederent, hostiles omnes copiæ sine bello diffluxere. L. Manlius & Attilius è Græciæ Legatione Romam reversi, in Senatu gloriati sunt, ob deceptum spe pacis & induciarum pacto regem: ibidemque hæc versutia plurimorum calculo comprobata, & nova sapientia nuncupata est. Audiamus Ciceronem sibi blandientem; Populo imposuimus, & oratores visi sumus. Sopyrus unus è septem proceribus Persarum, nasum & aures sibi abscindi voluit, id se à Dario rege suo injustè perpessum simulans, ut fides sibi apud Babylonios esset, nullus machinationis aut mendacii metus. Quosdam etiam Darii milites interemit, commeatus intercepit, seque odio & fuga Tyranni, ad Babylonios defecisse perjurabat. Donec exercitui Babylonico præfectus, illum Darii partibus adjunxit, Babyloniosque prodidit.

Ridiculi.

Refert *Svetonius*, Trojanos Legatos ad Tibertium, qui penè ab anno filium sepelierat, officiosi luctus gratia venisse: Et ego, inquit Tiberius, Trojanorum dolori pariter condoleo, vestrates Hectorem & Helenam vobis periisse.

Grati.

Cum plebs Romana ob injuriam Virginiæ ab Appio Claudio decemvito illatam in Aventinum montem secessisset, Senatusque tres consulares Legatos, minùs, ut credebatur, populares misisset ad placandum; ne admissi quidem illi, nedum responsum ullum tulere: sed valida voce conclamatum est, ut L. Valerius & M. Horatius mitterentur: hos audiendos esse. Neque quod æquum videbatur, sed quod placebat, obtinuit: nimirùm, ut non solùm quæ nunciarentur, justa ac grata essent; sed ii prærerea qui nuntiarent, justi & grati.

Ingrati.

Erasmus Roterodamus, vir in politiori literatura suo ævo G excellens, cum ad religiosum Bavariæ ducem verba facturus, facetiis minimè facetis initio jocaretur, se stomachum habere Lutheranum, sed mente in Catholicam, obvertit tergum Bavarus, atque in deserto sonuit oratio.

Sic Lacedæmonii Xerxis Legatos in barathrum & puteum detulerunt, quòd superba, ac insolita iis oratione terram & aquam exegissent.

Sic dum Legatus Cæsaris Octaviani Antonio denuntiaret, uti sese dederet, quòd homo nihili, mulierosus, malefanus, & cui nihil esset utile, quàm nomen imperii, ab Antonio præcipiti impatientia furibundo trucidatus fuit.

Ajunt, Draculam Moscovitarum regem haud minùs in Turcarum Legatos animadvertisse: Nam his injussis capita ingentibus, pileaque Phrygia ex patriæ instituto deponere tergiversantibus, ut gentilitium morem confirmaret, jus æterni pileï addidit, & clavo trabali tempora transfixit, ut quod deponere recularant, firmiùs hæreret.

Liberales.

H

Non accipiendo munera. Dando.

☞ *Petenonnulla ex loco de Libertate, quatenus non accipit munera, dona, &c. §. Legati.*

Vetustissimus & penè omnium gentium mos fuit, qui & in hunc usque diem perdurat, munera Legato, ut manus a pignora hospitalitatis, advenienti & discedenti offerre; quæ Laudia Romanis dicebantur. Cavendum igitur, ne qui accipit, sit ita largitionis appetens, ut in sinistram prævarcationis suspicionem abducatur.

Corruptionis periculum causam præbuit legi veteri Articorum, qua sanguinis pœna acceptio munerum Legatis interdicta.

Lege Julia repetundarum nominatim tenebantur ii qui in Legationum functione pecunias acceptassent.

Eademque severitas etiamnum apud Venetos est inviolabilis: quorum institutis capitaje est Legato, Legationis ergo munera contrectare. Ut exemplo comprobasset eruditos ille Hermo-

A Hermolaus Barbarus, nisi ante diem opportuna morte, Senatorum judicium evasisset, qui eum tacitis suffragiis capite damnaverant, quòd in Legatione Romana ab Innocentio VIII. Aquilejensem Episcopatum non recusasset. Licèt insuper publicaretur in præmium virtutis collatum fuisse, cum ipsi nil extra leges tribui liceret.

Apud Moscovitas nec minimum munus Legati commodis cedit, sed universa sibi arrogat is qui mittit.

Nec est quòd morem velis barbarum barbaris relinqui; cum & Romanos legamus publicum in ærarium Legationis munera detulisse, non solùm quæ publicè, sed ea etiam quæ privatim, ut *Valerius* loquitur, id est, privato hospitalitatis ac amicitiæ jure à Ptolomæo rege essent consecuti. Qua quidem integritate erudiuntur Legati, munera facultatibus suis haud temerè adnumerare, nisi conscio ac consentiente eo qui mittit, nimirùm, ut non solùm omni scelere vacent, sed etiam sceleris suspicione.

Et Rursus Romanorum Legati in Ægyptum ad Ptolomæum profecti, munera ejus diversimodè obtrusa respuerunt, quoque eos ad epulum invitatos coronis aureis coronavit. Easque illi, ne recusando integritas in contemptum, constantia in pertinaciam verti videretur, honoris gratia tantùsper habuerunt, donec postridie regiis statutis, quas in Jovis Sacrario suspexerant, imposuerunt. Ut non minoris virtutis fuerit reddere, quàm meruisse.

Dionysius Legatis sua dona amplecti detrectantibus; Rem inquit, miram facitis, plures enim laudatores vestrum erunt, quàm imitatores. Et unum bonum quod tyranno relinquum est, tollitis, indicantes etiam beneficia ejus periculo non carere.

Maximilianus I. Imp. Legatis Venetorum multa artificiosi laboris vasa vitrea observantiæ ergo offerentibus, grates quidem egit maximas; priusquam tamen discederent, abacum cui inerant, clam, sed velut fortuito lapsu videre fractum. Quamvis non solum doni utilitas, sed & mystica significatio sagacissimo Impesatori ita suasisse intelligatur, cum Venetos tanquam per jeroglyphica signa vitreæ, & inconstanti suæ fortunæ illudere, quam in bello cum iisdem fortissimè gesto expertus erat, haud obscurè animadverteret.

C

Magnanimi.

Matthæum Langium Episcopum Gurcensem, Maximiliani I. Imperatoris oratorem, accepimus, cum ad Pontificem Romanum Julium ejus nominis secundum missus esset, noluisse tribus illis Cardinalibus, quibus Pontifex negotium tractandum commiserat, quid in mandatis haberet, aperire. Quid verò? Cum illi indignati, ministros tres, ut rem peragerent, ad Legatum misissent, ipse totidem ex suis ad eos remisit.

Memorabilis quoque, & elegans historia extat apud *Nicetam Choniatem in annalib. prope finem.* Alexius enim Comnenus Imper. Græcus, in festo natalis Christi cupiens Legatis Cæsaris Henrici VI. Friderici I. Filii (qui ab eo Ammerigus vocatur) terrorem suo luxu inicere, & à petitione tributi eos deterrere, gemmatam vestem induit, & reliquos omnes auratas, & lanclavi vestes induere jussit. Quo spectaculo Alemanni adeò non obstupuerunt, ut eorum cupiditas illo splendore magis etiam instammaretur, & Græcos ut ignavos homines, & servilibus delictis deditos, quamprimùm oppugnandi occasionem optarent. Quum autem astantes Romani (ita Græcos appellat) eos hortarentur, ut gemmarum splendorem quibus Imperator instar prati nitebat, aspicerent, & media bruma veris suavitatem oculis perciperent, negabant, Alemannos talia spectacula desiderare, neque muliebria ornamenta admirari solere, quæ tucis, flammeis inauribus radiantibus, viri impensæ studeant. Cæterum tempus instare ajunt, ut muliebribus ornamentis sepositis, aurum ferro commutent. Nam si Legatio foret irrita, nec Imperator Regis sui, & domini postulatis annueret, necesse eos habituros pugnare cum hominibus, qui non gemmis ut prata niteant, neque rotundis margaritis intumescant, aut amethystis purpuræ, & auro intertextis pavonis instar glorientur, sed qui Martis alumni, iræ flamma oculos suffusi non secùs quam gemmæ radient, & totos dies sudorem fundant, margaritis splendidiorem. *Hucusque Nicetas.*

E

Per Legatos decipere.

Sic astu tectoque consilio Philippus Macedo aggressus est Athenienses, quos ut deciperet, priùs Legatos à se missos decepit. Nam cum prætextu quodam indefinitæ libertatis maguam Græciæ partem occupasset, Athenas obsidens, per Legatos credulos, seipsosque pro stipulatu vinculis offerentes, vota sua, & conatus Atheniensibus calydè, & callidè aperuit. Nimirùm decem se dumtaxat eorum civibus insensum esse, ut qui contumeliis se incesserant, nulla injuria provocati. Proindè si pauculos illos dederent, & urbem & universam multitudinem liberandam, quin etiam libertatis eorum studiosum fe, & defensorem fore. Poscebat imprimis Demosthenem, novem itidem Oratores disertissimos, quorum apud eos auctoritas, & sermo plurimùm valebat. Nutabant omnium sententiæ, & voluntates, suumque periculum alieno damno depellere statuentes, paucorum infortunium totius populi incolumitati, & patriæ libertati postponebant. Eaque haud dubiè successisset calliditas, nisi eorum princeps Demosthenes, lepida fabella, luporum postulantium, ut canes omnes à gregibus abdicarentur, quò liberiùs in illos desævirent, Ulysseas artes detexisset.

Non Admittere.

Hoc olim vitio notatus fuit Liganus Tyrannus. Is Lacedæmoniorum oratores varia cunctatione, consultatione, procrastinatione ducens, ut necessaria magis causa alloquii facultatem negaret, valetudinem non satis firmam mentitus est. Legatos igitur se Spartanos esse ostenderunt, & icita verbi allusione: Non venimus, inquiunt, cum Ligano luctaturi, sed locuturi. Ideoque & publico ludibrio mores ejus exponi, & laborare cœperunt; ut si quis difficilis aditu, superbus sermone, intolerabilis fastu existeret, Liganus diceretur.

Legati ob apparatum Repulsi.

G

Legatorum superbus apparatus, numerosi comites, Principibus, ad quos itur, nonnunquam invisi, ac suspecti sunt. Sic cum tres Legati Hungarici, quos longa superbiæ spectaculo tria millia equitum sequebantur, ad Fridericum Imperatorem Neapolim missi essent, ut diadema regni sui redimerent, occlusas urbis portas invenerunt, quòd tam vasta, & otiosa pompa, vel majoris spei indicium præ se ferret, vel ad ostentationem, & luxum instituta, imò ad terrorem videretur. Illis itaque Legationis jure introitum postulantibus, per nuncium respondit Imperator: Non Legationem istam, sed militarem sibi legionem videri. Neque profuit, quæ cudebatur excusatio, quòd honorandæ Majestatis, ac Coronæ sacræ, & religionis gratia tanto splendore advenissent; nam post multa, Legatus tantùm unus cum ducentis equitibus, consensu Cæsaris intromissus est.

Comites qui deligendi?

A Legatorum contubernio procul sint sycophantæ, ardeliones, gancones, officipertæ, parasiti, aulicæ gloriæ deho- H nestamenta, quorum omnium probra, & delicta in Legatum redundarent, plurimumque interdum turbæ, ac molestiæ, vel ex unius litigiosi famuli, moribusque externæ gentis immorigeri lascivia oriri posset. Comites igitur, ministri, famuli omnes, boni sint, coercendi, aut dimittendi, nisi sint. Quemadmodum pulchrè M. T. Ciceto Q. Fratri scripsit, Horum non modò facta, sed dicta etiam omnia præstanda nobis sunt. Ut enim probi prudentesque haberi velimus, non satis est nos esse hujusmodi, verùm idem quoque requiritur in reliquo famulitio.

Quot mittendi Legati?

Numero Legatorum inesse videtur non parum splendoris, & magnificentiæ, fortasse etiam firmitatis, præsertim cum majoris est ponderis negotium, quàm ut unius humeris sustineri posse videatur, utpotè cum percutiuntur fœdera, aliaque regni publica pacta sanciuntur. Hinc Rex Latinus apud *Virgilium* I.

Qui

A —— *Qui dicta ferant, ac fœdera firment,*
Centum oratores, prima de gente, Latinos
Ire iubet, pacisque manu prætendere ramos.

Fuerunt etiam, qui in negotiis non ita gravibus dolerent, indignarenturque, & velut in opprobrium ducerent, non multos simul ad se Legatos, & magnificè mitti.

Sic cum à Lacedæmoniis ad Demetrium unus tantùm orator, & incomitatus advenisset, Rex contemptum ratus, Quid inquit, unusne ad me? Scilicet, respondit ille, unus ad unum, & unius nomine. Brevi igitur dicterio superfluos sumptus, quæsitasque molestias salubriter taxatas puta, quibus se Principes per Legatos involvunt, cum Reipublicæ negotia per unicum feliciore, ac faciliore successu, & minori impendio, ac impedimento expediantur.

LEGATORUM ADMISSIO, SIVE EXCEPTIO.

Ita accipiuntur ab illis ad quos mittuntur.

B

CRUDELITER.

☞ *Pete plura ex loco de Crudelitate.*

Occurrit facinus Helenæ Russorum Reginæ, quo nihil truculentius fama audiit, aut vidit sol ab ortu in occasum. Nam postquam à Prutenorum præside Arte & Marte victa, primò carceris, deinceps tributi contumeliam passa esset, quam viribus non potuit, extremo & propè incredibili scelere vindictam quæsivit. Quippè dum irrita, & irrisa jacerent quæcumque ejus conamina, stetit crevitque illa animo, & audacia, & Legatos à Præside missos, ut amicitiam fœdusque æternum per nuptiarum vincula ineundum offerrent, vivos & valentes omnes sepulchro condidit, atque ut sæpiùs morerentur, inedia maceravit, & extinxit. Eoque flagitio nondum divulgato, nondum ipsa satiata, significavit, priores quidem apud se hospites hæsuros, velle tamen se per plures potentioresque super re tanti ponderis conveniri. Dumque eò quinquaginta insuper heroes illustres prima è classe advenissent, C illa facibus imperiosæ bilis magis accensa, omnes unà cum assesclis clam cremari jussit. Mox firmatis sponsalibus, matrimonioque decreto, eorundem hostium quinque millia pronubis velut eduliis in tristissimam hilaritatem pellexit; rursumque casum cerebrumque secuta, non consilium, jam vino occupatos neci dedit. Proceribus autem reginæ accurrentibus, rogantibusque, ut saniori judicio acquiesceret; rebus enim sic stantibus statum suum stare non posse, mali quoque moris malique exempli tam inhumanam vindictam esse, & à majorum virtute clementiaque alienam, denique cum ipsius & periculo, & exitio conjunctam: Et agere, inquit, juvat illa, quæ nemo hactenùs egit, exemplum non accipiam, sed dabo. Postquam misera facta sum, miserum non putavi mori, si prius insigni ultione animum satiarem. Ploret tot suorum funera hostis meus, ego quidquid timeri potest, non consilio vestro, sed meo facinore evadam. Helena cum Helena consultatura est. Dixit, protinusque (ut erat impatiens monitorum, & moræ, neque morbum, neque medelam ferre poterat) in fœdam cloacam insiliens, seipsam suffocavit.

D Paulus Patriarcha Constantinopol. Legatos Sedis Apostol. à Martino Pont. ad se missos, opera Constantis Imp. Hæretici variè ad Insulas relegavit. *Brev. Rom.*

CONTUMELIOSE.

Hanon filius Naas nuntiis quos miserat David ad ineundum cum eo fœdus, ex consilio suorum abscidit barbam, & vestes usque ad nates, & hac contumelia affectos, abire ad Regem suum jussit. 2. *Reg.* 10.

Henrico Imperatore, cognomine Aucupe, ut cui occupato in aucupio denunciatum fuerat imperium, Legati illius ab hostibus, qui munitissimam arcem Hartesburgam propè Hoslariam occupaverant, violati fuere. Quippè crinibus abscissis, & virgis malè multati, discesserunt. At mox punitis Legationis violatoribus, arcem illam Imperator evertit. *Camerar. supra.*

Anno 1621. Finitis induciis inter Serenissi. Principem Albertum Brabantiæ Ducem, & Fœderatos rebellium Batavorum Ordines, missus fuit ex parte Principis vir amplissi. Petrus Peckius Brabantiæ Cancellarius, qui nuper Legatione apud Christianiss. Regem, & Imperatorem fuerat perfunctus, ut E illis voluntatis suæ promptitudinem declararet, dummodò Catholicum Regem pro suo Principe supremo agnoscere, uti æquitas postulat, & habere vellent. Cæterùm non modò exploso ejus Legatio fuit, sed & in ipso ejusdem accessu, plebs confusa nautarum, & epibatarum, quibus Regio illa ut plurimùm fulcitur, colluvies, transeuntem Delphos, Dordracum, & finitima loca, cachinnis, contumeliis, ac sibilo exceperunt. Parum absuit, quin luto & saxis prosequerentur. Ita religiosè, & piè rebellis Calvini disciplina suos educat, insigni videlicet probitatis, & modestiæ apud posteros, & exteros exemplo.

* VIOLATIO LEGATIONIS.

INEPTA, PUNITA.

☞ *Vide §. immediatè præcedentem.*

Jure gentium sancta sanctio est, ut etiam hostium ipsorum præsidio tuta, & inviolabilis sit Legatio, & inter confusa arma F hæc sola pacis nomen, & omen præ se ferat. Legati enim hostium, ne hostes quidem censendi sunt, quòd officio dumtaxat boni viri, ac suæ patriæ procuratoris fungantur. Hinc si quid contra fiduciæ eorum tabulas quis perpetrarit, reus sit læsæ Majestatis, id est, prostitutæ fidei, & auctoritatis publicæ.

Scimus, quantùm vel sola suspicio, ut ut cæca, de interfectis Gallicanis Legatis ad Turcam (quorum fœdus primùm coibat) distulerit Caroli V. Cæsaris famam, alioqui inclytam, & terrarum orbe majorem. Olim quoque perpetuum infamiæ stigma inustum Spartanis, quòd Persici Regis Legatos petentes terram, & aquam (erat hæc formula exigendæ deditionis) abjecerint in puteum, illic abundè habituros eorum quæ peterent.

A Laarte Tolumnio Vejentum Rege quatuor populi Romani Legatis per Fidenates interfectis, totidem statuæ erectæ fuere, eaque ad suam usque ætatem pro Rostris extitisse *Cicero* refert, ut vitæ pro patria ereptæ brevitas diuturnitate famæ, & virtutis exemplo compensaretur. Sed in ultionem quoque injuriæ exarsit Romana iracundia: Fidenatum enim qui se Legatorum cæde polluerant, pars cæsi, reliqui simul G & semel sub ditionem venerunt omnes, utbique ferro flammisque est objecta.

Juris gentium definitio videtur, ut qui violaverit Legatum, veluti piacularis victima dedatur, & contrà, Legatus qui violaverit jura gentium, remittatur ad eum, cujus est. Qui tum si probus, ac prudens fuerit, manifestum faciet, ne quidem flagitia apud hostes perpetrata indignatione sua carere. Alioqui ubi quis deliquit, jurisdictionem ejus subiisse intelligitur, cujus in ditione deliquit. Neque injuria animadverteretur in illos, qui meditato sceleri sanctissimum Legationis nomen obtendunt. Quare vox illa Justiniani ad Legatos suos Byzantinos, in auribus nostri Legati, magis in mente hæreat: Tamdiu jus non violandorum Legatorum servandum esse, quoad ipsi jus Legationis honestatemque servarint.

Apud Romanos L. Minutius, & L. Manlius, quia Carthaginensium tunc hostium Legatis manus intulerant, iisdem à Prætore ex Senatusconsulto dediti sunt. Nec Q. Fabium aut Cn. Apronium tueri curulis dignitas, munusve Ædilitium potuit, quin ob Apolloniæ civitatis Legatos violatos, eandem legis H severitatem uterque subiret.

Memorabile verò Lacedæmoniorum facinus fuit, qui Darii caduceatores interemerant. Duo è populo Viri, & tanta vi animi reperti sunt, ut ultrò ad Xerxem Darii filium iverint, seseque obtulerint suo supplicio expiaturi scelus, quod fuerat universorum. Tam animosa virtute motus Rex, eam pari clementia prosecutus est, remissa pœna publica, & privata, ut qui se fato obtulerant, regia virtute renascerentur.

VIOLATIO NON PUNITA.

Romani Senatus, & Africani exemplum in promptu est. Nam cum Legatos suos à Carthaginensibus violatos accepisset actutum, & quidem rebus imperfectis, discedere Carthaginensium Legatos domum jussit. Qui postquam tempestatis ludibrio rursus in Scipionis castra essent relapsi, classis præfecto ratione officii vindictæ avido, quæritanti, quid facto opus esset? Hos enim exemplo atque omine malo reversos. Ni-

A Nihil, inquit, tale agamus, quale Carthaginenses, qui nec exemplo, nec omine bono mali facinoris conscii sunt. Sic intactos dimisit, committere nolens, quod in aliis culpabat. Id tamen non communi talionis regulæ, sed singulari mansuetudini, atque æquitati Scipionis tribuendum.

EXTERI ET HOSTILES.

DIMISSI.

Quàm temerarium sit insalutato, ac inconsulto externo Principe, ejus patriam ingredi, egredique, solemniore forsan exemplo docuisset Legatus ille, qui anno supra millesimum sexcentesimo decimo quinto, à Turca ad Hollandos missus Antuerpiæ sistebatur, nisi regia, ac inclyta Archiducum Alberti, & Isabellæ clementia, impudentis hominis incogitantiam, ac levitatem superasset.

B

* Legio.

DEFINITIO, ETYMOLOGIA, VARIETAS.

Legio, quæ Græcis φάλαγξα, & à legendo sive deligendo nomen sortitur, teste *Varrone lib. 4. de ling. Lat.* quòd milites ad legionem viritim eligi soleant, est certus militum numerus, decem cohortes sub se complectens; quomodo cohors decem manipulos, manipulus xxv. aut xxiv. milites continebat. Sic ut legio numeraret millia duodecim & quingentos.

Variæ tamen de numero Legionis fuerunt opiniones. Verbi gratia, cum Vegetio *Hieronymus* conflat legionem 6000. Addunt alii 660. *Polybius lib. 6.* affirmat, communem constitisse 4000. peditum, & ducentis, equitibus verò ccc. in graviore tamen bello fuisse peditum 5000. At sub Romulo non erant in legione plures, quàm 3000. peditum, & 600. equites.

Cæterùm nomina sua à numero, & ordine sumebant. Ita C vocabantur Primani, Secundani, Decumani, qui in primo, secundo, & decimo ordine erant.

Vegetius de re militari lib. 2. c. 2. & 23. dicit, in quavis legione fuisse ætatem primam triariorum, alteram principum, tertiam hastatorum, ultimam velitum. Omnes autem, velitibus exceptis, dividebantur in decem centurias. Vide Cincium *apud Gell. l. 16. c. 4. Iul. Cæsar. l. 6. de bello civil. Velleian. l. 2.*

LEGIONIS LEGES.

☞ *Quære in Titulo de Magistratu chronologicè considerato.*

---

* Legitimus. Legitimatio.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

D Legitimum vocamus, qui ex utroque parente per legitimum matrimonium in maritalem sodietatem unito nascitur.

Legitimatio autem est quædam natalium restitutio, quæ absque conjugio natis, extra causam ingenuitatis conceditur: Sic ut legitimatus quoad omnia legitimus censeatur.

LEGITIMATIONIS PLURES MODI.

Efficitur filius naturalis legitimus, quando à patre solemniter nominatur filius in instrumento publico, vel etiam scriptura privata, trium testium fide dignorum testimonio. *Auth. si quis, C. de natur. liber.*

II. Per Principis dispensationem, & rescriptum. Principem intellige tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem.

Est autem plenissima legitimatio, & perfecta, quæ tollit impedimentum, & vitium jure inductum, & quæ matrimonium impediebat, & procedit à radice matrimonii adversus juris prohibitionem contracti, ut notat ex Hostiensi *Covarruv. to. 1. p. 2. cap. 8. var. resol. nu. 19.* Aliæ legitimationes potiùs sunt dispensationes.

III. Fit etiam legitimatio illegitimorum, si subsequatur E matrimonium inter parentes; estque hæc inducta jure humano à Pontifice, *cap. tanta*, & complectitur filios contracto matrimonio viventes, non mortuos, aut nepotes.

IV. Filius naturalis spontè à patre oblatus Curiæ Principis, fit legitimus ipsi offerenti. *l. 3. C. de natur. liber.* attamen non est modò usu recepta istiusmodi legitimatio, uti neque si quis offeratur Curiæ cœlesti, id est Religioni.

V. Bona fide utriusque parentis, imò & unius, verè legitimus habetur.

CAUSA EFFICIENS ET EFFECTUS.

Legitimare potest summus Pontifex, etiam sibi non subditos, dummodò jure possint legitimari. Et ita legitimatus potest obtinere beneficia Ecclesiastica, & sacerdotia, ac Religionem quamvis amplecti.

Princeps supremus legitimare etiam potest, & legitimandi potestatem aliis facere. De jure matrimonii supra dixi- F mus.

Ad Ecclesiastica Princeps legitimare non potest, sicut nec ad temporalia Pontifex.

Per subsequens tamen matrimonium legitimatus, admitti potest ad Ecclesiasticam emphyteusim, & Juribus quoque municipalibus censetur legitimus, & admittendus est ad Rectractum, *ex l. Regia*, & primogenituram.

Debetur Legitimato legitima, & patri succedere potest in sibi relictis, excluditque substitutum, eique competit jus condendi testamentum nullum. Videatur latè & solidè *Cavarruv. supra.*

Imò legitimatus per subsequens matrimonium, potest eligi in Episcopum. Ac talis legitimatio revocat donationem, *ex l. si unquam, C. de revoc. donat.*

Nicol. de Vbald. in tract. de success. ab intest. dicit, nunquam aliquem fuisse legitimatum ad Cardinalatus dignitatem, aut Rotæ prætorium obtinendum, etiamsi natalibus per Principis rescriptum restitueretur. Quin *Ludov. Gomez. in reg. Cancell.* dicit, Philippum Decium, virum alioquin præclarum, à dicto prætorio hac de causa repulum. *Regia tamen l. 12. Tauri*, legitimatum ad omnes dignitates admittit. G

☞ *Consulatur etiam hic Locus de Honore, Tit. Ornamenta honorifica, §. Natalium honore affecti.*

☞ *Item Loco de Privilegiis, nonnulla adferuntur de potestate legitimandi, facta diversis.*

* LEGITIMA.

Legitima est certa portio bonorum, quæ filio competit in bonis parentum: constituitur autem tertia pars, *ex l. Tauri*, quamvis ea juxta varias consuetudines municipales etiam varietur. Alioquin probabilis est DD. opinio, legitimam à Jure statutove diminui quidem posse, tolli autem non posse: Addunt alii, dummodò aliunde filio non supperant alimenta. Videat Lector, quæ eruditè de hac materia scripsit *Didac. Covarruv. Tom. 1. p. 2. c. 8. n. 5. var. resol.*

Legumina.

Legumina, quòd velut manibus legantur, dicta. ☞ *Vide in Loco de Alimentis, Cibo, de Inventione ac Inventoribus. Item ubi de Loco agitur.*

Lenones, Lenocinium.

☞ *Desumatur ex Titulo de Libidine, sive Luxuria, §. Lenones, Prostitutores, &c.*

☞ *Et nonnulla de his reperiuntur in Locis de Acquisitione, Amicitia, Divitiis, Avaritia.*

Lenti.

Lenti.

☞ *Vide* SEGNES. *In Loco de Tarditate.*

---

* Leo.

☞ *Vide Loca materialiter considerata.*

CICURARE.

☞ *Quære Tit. Domitores Animalium.*

DONO DARE.

☞ *Vide Donatio. Item Tit. de Venatione.*

A LEONIBUS NECATI.

☞ *Ex loco de Morte, Tit. Mortis genera varia.*

B LEONUM NOMINA VARIA.

Quibus ætas illorum distinguitur.

Hebræi Leoni plura dant nomina, quibus illius ætatem discernunt. Primùm enim *Gur* vocatur, dum est catulus. Secundò *Kephir*, cùm jam adultior est. Tertiò *Arith*, quando est robustus, & ferox. Postremùm *Labih*, quasi cordatus, cum est plenè perfectus, & senescere incipit.

NATURA.

Catulum Leonis recèns natum triduum dormire, tradit *Eucherius in c.49. Genesis*, & tertio demùm die fremitu patris tremefactum cubili excitari; quod symbolicè ad Christi resurrectionem referunt.

Dormiunt oculis semiapertis propter palpebratum exilitatem, & inter dormiendum splendescentibus. Unde multis persuasum, insomnes esse, præsertim cum caudam dormiendo moveant. Et hinc factum, ut veteribus ante templorum januas collocatæ fuerint eorumdem statuæ, quasi custodes essent sacrorum, cujus rei exemplum etiam habemus in templo Salomonis. Audiamus *Alciatum in Emblematibus*:

C *Est Leo, sed custos, oculis quia dormit apertis.*
Templorum idcircò ponitur ante fores.

Leæna, validissimum voracissimumque animal, semel in vita, & unum, si Herodoto credendum est, parit, cumque fœtu uterum emittit. Nam, inquit, catulus leoninus, ubi moveri in utero incipit, cum habeat ungues longè acutissimos ex omnibus feris, uterum lacerat, augescensque magis, ac magis ungues, imprimendo exulcerat, ita ut ad postremum, dum partus adest, nihil uteri relinquatur incolume. Huc respexit fabula Æsopica, in qua leæna vulpi exprobranti, quòd & semel in vita, & unum tantùm pareret, respondisse fingitur, se quidem semel, & unum parere, sed eum leonem. *Solinus* tamen & alii, tam ex veteribus quàm recentioribus, de partu hujus animalis rectiùs, id quod experientia testatur, scribunt. Leænæ, inquit Solinus, fœtu primo catulos quinque edunt, deindè per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus; sed postremo quum ad unum materia fœcunditatis recedit, steriles sunt in æternum. Sed de partu leonum res tam intricata amplius non est, nam ii quoque in Germania in vivariis Principum sæpiùs pepererunt.

D Tanta est autem magnanimitas, & generositas hujus animalis, ut *teste Aristot.* nec fugiat, nec metuat, sed si venantium multitudini cedere cogitur, sensim pedatim discedat, crebrò resistens, atque respectans. Nactus autem opaca, vel ubi quàm maximè potest, fuga se subtrahit, donec in apertum deveniat, tum rursus lentè incedit. Sed si quando locis nudis atque patentibus cogitur apertè fugam arripere, currit, nec salit. Quum tamen infestatur, ubi jam propinquat venator, in eum insilit, percussorem agnoscens, ac observans invadit. Est ergo Leo animal ferox, & ad nocendum idoneum, item generosum, & in subjectos clemens. Historiis hæc confirmentur.

LEO FEROX ET NOXIUS.

Legimus in litteris divinis 2. *Reg. cap.* 17. immissos à Deo Leones in impios Babylonios, & Chuteos, qui eos devorarunt.

Alium prophetam, quòd mandatum divinum neglexisset, E Leo dilaniavit. *Ibid. c.4.*

Etiam inimicos Danielis leones devorarunt, quorum rictus paulò ante Deus cohibuerat, ne Danielem ullo modo lederent.

Memorabile est, quod *Plutarchus* de Megarensibus tradit, apud quos Cassius, leones quos Ædilibus ludis præparaverat, reliquerat. Cùm enim civitas per Calenum caperetur, Megarenses infausto sanè consilio ferarum carceres effregerunt, eorum vinculis relaxatis, ut irruentibus hostibus objectæ, negotium eis tantisper facesserent, dum sibi per mora aliquam consulere possent. Verùm enimverò longè aliter evenit, quia leones in cives ipsos truculenta sævitia conversi, tantam inermium stragem edidere, dum obvios quosque adoriuntur, sternunt, atque dilacerant, ut spectaculum id fuerit vel ipsis hostibus perquàm miserabile.

Tale aliquid nostro tempore accidisse in arce Neapolitana (quæ ad mare propè portum sita est, & olim *teste Collenutio* collegium Fratrum Minorum, posteà regum Aragonum regia fuit, hodie Castellum novum vocatur) refertur. Usitatum enim longo tempore fuisse ajunt, & adhuc est, ut leones aliquot ibi in loco, qui mare spectat, alantur. Quum autem aliquando hostes noctu navibus appulissent, & hac in parte F occupaturi arcem mœnia scalis clam appositis magno silentio transcendissent, præter suam spem inciderunt in leones, qui multos ex iis dilaceraverunt, & suo rugitu vigiles excitarunt, ita ut non paucis desideratis irrito conatu discedere coacti fuerint.

☞ *Vide infrà de Leænæ ferocia.*

MANSUETUS.

Ferunt, Hannonem quendam Carthaginiensem, primum omnium mortalium ausum fuisse Leonem manu tractare, & mansuetum cum omnium admiratione reddere; atque ob id in exilium pulsum fuisse. *F. Patricius lib.* 3. *Tit.* 6. *de officio Princip.*

Superioribus annis qua ratione ferocissimus quidam leo admodùm heroicè se gesserit adversus captivos, & vinctos à Turcis, refert *Camer. hor. succiv. centur.* 2. *cap.* 85. Cùm enim equites, & milites suos Sangiacus quidam Turcicus in confiniis Hungaricis, loco consueto (quem sua lingua *Isphahi* G *meidan*, id est, equitum aream vocant) militaribus exercitiis, proposito industriis, & agilibus præmio (uti facere assiduè solent) assuefaceret, & circulator quidam immanem leonem domitum, & ipsius jussis tanquam magistro parere edoctum, adduceret; evenit fortè, ut quidam captivi Hungari Christiani (quos Torci inviio nomine Gauros vocant) in excursionibus deprehensi, vinctis post tergum manibus adducerentur, ut ludibrio illi turbæ hominum exponerentur. Sangiacus illis conspectis jussit robustiorem ex iis, & quidem ferè imberbem adhuc, ita vinctum palo deligari, ut à leone dilaniaretur: quem cùm leo, licèt irritatus, & concitatus, sponte attingere nollet, sed blandienti similis illum intueretur, commotus ejus magister, eum concitatiore voce, & cùm hac nihil efficeret, fuste ad institutam lanienam compellere conatus fuit. Quum verò frustrà laboraret, & ut Turcicis spectatoribus, avidis sanguinis Christiani, satisfaceret, leonem tergiversantem, contra deligatum stipiti, verberibus incitare non cessavit, ita ut is unam ex ocreis misero Christiano unguibus detraheret, mox verò ipso illæso, conversus (divinitùs, ut putatur) in H magistrum suum magno impetu irruit, eumque crudelem in modum frustatim concerpsit, erga reliquos planè innoxius. Consternati veluti hoc portento Turcæ, nihil atrocius in deligatum pale concaptivosque statuerunt, donec plerique vel permutatione facta cum Turcis captivis, vel pretio redempti sunt. Ii incolumes reversi, quo pacto in summo periculo divinitùs conservati fuere, suis prædicarunt. Hæc sicut modò recensui, ex fide dignis hominibus audivi, eaque æneis typis incisa, & expressa, posteà vendita publicè sunt. *Ita Camerarius*, qui præcedentibus addit ista.

Referam quoque, quæ tanquam oculatus testis recensere possum. Eitelbergæ, vivente Ottone Henrico Principe Palatino Electore, non semel vidi in arce leonem raræ magnitudinis in suis septis, ita tamen mansuetum, ut absque noxa se attrectari à notis, & catellos involutos jubæ suæ indormire pateretur, secumque ludere permitteret. Quin imò morionem Electoris ita amabat, ut ei tanquam familiari lambendo & amplectendo veluti blandiretur.

Notum

A Notum præterea est, Maximilianum II. Cæsarem, optimum habuisse leonem domesticum, qui non secùs ac canis tractabilis, & obsequens erat, neminique noxius, nutritus, uti dicebatur, ab ineunte ætate, solummodò pulmentis, & nulla carne, inprimis cruda, tantaque domesticitate, & affectu erga Cæsarem defunctum prædilus, ut vix à funere se avelli passus sit. Memini autem, non semel legatos Reipublicæ nostræ recensere, cùm Imperatoria, & Regia ornamenta, clenodia & vestitus ordinarii, quæ in hac urbe nostra, veluti depositum peculiare, per aliquot sæcula custodiuntur, Ratisbonam, ad inaugurationem Cæsaris Rudolphi II. Maximiliano patri afferrent, & ante ejus majestatem, in locum certum cubiculi, inspectante Cæsare, reserata & explicata exponerentur, deinde rursum reponerentur, mox leonem illum Cæsareum, ponè ipsum Cæsarem assistentem, ad coronam, sceptrum, gladium, pomum, & vestes Imperatorias illas, antiquitate celebres, veluti observantem, & admirabundum, quid ageretur, accessisse, & convasatis rursus in cistam, super eam custodis instar se se collocasse.

Similem leonem mansuefactum habuit Joannes Austriacus B cujus nomen ob victoriam contra Turcas ad Naupactum, ipso summo exercitus Christianorum Duce, partam, celebertimum est; qui leo plerumque lateri ejus, tanquam custos, adhærere solitus fuit.

MAGNANIMUS.

Corpora magnanimo satis est stravisse Leoni.

Imò ne stravisse quidem, si imbelles sint, & pusiones, qui obiiciuntur.

JULIUS CAMILLUS, dum fortè Luteti Æ Parisiorum è palatii fenestra in hortum prospexisset, Leo casu è claustris suis evaserat, eumque à tergo complexus est. Diffugientibus aliis, ille imperterritus inhærentem sibi intuitus, qui omni ferocia mox deposita, ad pedes ipsius procubuit instar blandientis, & veniam petentis.

Refert *Plinius*, Leonem prostratis parcere, & dum sævit, in viros priùs, quàm in fœminas fremit. In infantes non nisi magna fame, *lib.* 8. *cap.* 16. *natur. hist.*

Susiana Regio jubatos coronatosque leones gignit, generosos, homini parcentes, nisi ex pecoribus præda desit.

C De Leone Florentino, qui perfractis clathris forum inambulabat, & puerum unguibus rapiebat, matreque eum retrahente dimittebat, ita cecinit sub illius historiæ schemate, *Cornel. Kilianus Dufflæus*:

Quem grata accepit quondam urbs Florentia dono,
Vi valido erupit carcere forte Leo.
Dum vero indomitus frendensque vagatur in urbe,
Grassantemque pavens civica turba fugit:
Unguibus invadit puerum violentus acutis,
Qui viduæ proles unica matris erat.
Currit mœsta parens, puerum eripit, ocyùs ille
Cum prole illæsam lenis abire sinit.

Porrò ad magnanimitatem illius spectat, quòd inter venandum si fortè laucietur, vindictam non patet in turbam, sed illos quos reliquis pollere auctoritate videt. Narrat *Q. Curtius*, Leonem insuitatæ magnitudinis, ipsum Alexandrum, quamvis stipatum amicorum satellitio, invasisse.

☞ *Vide §. sequentem de illius prudentia.*

D GRATUS.

Fuit apud Aruernos Leo domesticus, qui in publicum illapsus, plures lauciavit, donec adveniente domino, cum eo regressus, omnem ferociam deposuit; at multitudo incolarum multis telis in eum conjectis se de eodem vindicavit. *Rob. Guagn. l.* 10. *cap.* 18. *hist. Francor.*

Narrat *Ælianus*, Ursam & Canem cum Leone eodem contubernio alitos fuisse, & instar domesticorum animalium conversatos aliquamdiu, donec Ursa quodam impetu percita Canem devoravit. Quippè Leo contubernalis sui sortem miseratus, & violati hospitii scelere commotus, Ursam laceravit, & de cane pœnas exegit.

Helpidi Samio, quòd ex gutture Leonis os evulsisset, tam diu gratiam is retulit ex venatione, quamdiu cum navi in littore stetit. *Camer. cent.* 1. *hor. succiv. cap.* 22.

Androcli servo apud *Gellium l.* 5. *cap.* 14. simile gratitudinis obsequium præstitum legimus.

PRUDENS.

Discernit in venatione percussorem, & unum illum appetit in multitudine. Juba Rege Mauroum iter cum exercitu faciente, factum, ut leonem obvium regius juvenis sagitta vul- E neraret. Recessit suscius oculis conjectis in percussorem. Post cùm rebus compositis Juba rediret eadem via, leo se abdens observavit transeuntes. Visumque juvenem, qui vulnus dederat, salvo inopinato invadit, dilacerat, & ad sua latibula dilcessit. *Camerarius supra.* Idem refert, morbis quibus molestatur, opportuna remedia leonem quærere, neque magis opportuna esse, quàm simiam, cui ob id insidiatur.

A LEONIBUS DISCERPTI.

☞ *Præter superiora, vide locum de Morte, Tit. Mortis genera.*

* EORUM HOSTES, ET TERRICULAMENTA.

Ammianus Marcellinus lib. 18. *rer. gest.* refert, inter arundineta Mesopotamiæ vagari innumeros leones; at ubi solis radii exardescunt, culicum innumerabilem grassari turbam, qui leonum oculis uti lucentibus etiam de noctè, & velut humentibus insident, & adhærent, ut cruciatui impares nonnunquam se fluminibus immergant, & demergantur, aut certè unguibus oculos sibi effodiant.

Tria genera terriculamentorum enumerat *Plin. l.* 8. *cap.* 16. quibus heroica hæc bellua domari potest: circumactos videlicet rotarum orbes stridentes, cantus galinaceorum, & faces F accensas, quas nulla ratione sustinet. Unde venatores dextra ignem gestantes, & læva scutum pulsantes, eum in retia cogunt, ut est auctor *Oppianus lib.* 4. *de venatione.*

CAPTURA PERFACILIS.

Meminit *Plin. lib.* 8. *c.* 16. Getuli pastoris, qui cùm pro pecore adversus leonem dimicaret inermis, vestem qua erat amictus, ex desperatione exuit, & in feræ caput injecit. Qua hærente in juba circumvoluta, oculosque illius obvelante, substitit fera, & feritatis oblita, pastori fugæ spatium permisit.

Atque hoc remedium posteritas adhibuit, & Afri leonicidæ imitantur. Sunt enim inter illos homines fusci, sub pellibus victitantes, & attritam lænam interulamque gerunt, quibus ludus leones occidere. Adventantes quippè irritant, miraque agilitate interulam oculis obiiciunt, & exasperato cultro cor transfigunt, statim pellem detrahunt, eamque circumferentes, & à pueris patrio carmine celebrati, stipem corradunt.

Jacobus Eborac. se juvenem Ulyssipone cognovisse testa- G tur, qui decem à se leones interfectos gloriabatur. *Camerarius supra.*

* LEÆNÆ FEROCIA.

☞ *Vide supra nonnulla.*

Leænam Leone, & agiliorem esse, & ferociorem, notant historiæ; idque vel maximè, si catulos enixa sit. Perdicca Macedo qui inter præcipuos Duces Alexandrum est secutus, hoc nomine famam fortitudinis promeruit, quòd aliquando in speluncam leænæ solus introisset, ejusque catulos, leæna non reperta, inde extulisset.

Ferunt, Semiramidem Assyriam, si quando Ursum aut Leonem cepisset, parum gloriatam, at animum extulisse, cùm leænam interfecisset. *Camer. cent.* 2. *hor. succiviv. c.* 87.

* LEONES OCCIDERE.

☞ *Ex Tit. de Fortitudine & Venatione, huc pleraque.*

SAMPSON cum parentibus viam faciens propè vineas oppidi Thamnatæ, & paululùm ab illis digressus, habuit sibi insilientem Leonem sævum, & rugientem, quem nihil expavit; sed ut *Joseph. & Ambros.* scribunt, ei se oppotuit, & strangulavit tanta H facilitate, ac quispiam fortis hœdum aliquem tenesium: & hoc admodùm mirabile, quòd nihil manu teneret Sampson, cum à leone invaderetur, sed ut ait *Ambr. l.* 2. *de spir. & li. c.* 1. irruentem in se brachiis amplectitur, & necat, & cadaver super sylvestria germina proiicit. In cujus proinde ore invenit post duos dies examen apum, & favum mellis. *Judic. c.* 14.

Dicebat David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem & veniebat Leo, & etiam Ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. 1. *Reg.* 17.

Bananias filius Jojadæ viri fortissimi magnorum operum de Cabseel, percussit duos Leones Moab, & ipse descendit, & percussit Leonem in media cisterna in diebus nivis. 2. *Reg.* 23.

Lysimachus, prout à *Justino* refertur, Alexandri jussu Leoni objectus, eum evulsa lingua strangulavit, & luminibus belluæ obvelatis, uti suprà de Getulo retulimus, victor evasit, nec de ullo majore facinore gloriabatur apud Demetrii legatos quàm de ista pugna cum Leone inita.

Etiam ipse Alexander nonnunquam cum Leone decertans pictus fuit, *teste Plutarcho.*

De

A De Carpophoro *Martialis lib.1. Epig.14.*

Summa tuæ Meleagre fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori gloria fusus aper?
Ille & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli.
Stravit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui docuisse manus.

* IN PUGNAM ET SPECTACULUM ADDUCERE.

Leonum pugnam Pop. Rom. spectandam primus omnium dedit Q. Scævola Publii Scævolæ filius, cum ædilis curulis esset; quæ quidem res ei non minùs, quàm paterna dignitas suffragata est, ad populi gratiam promerendam.

L. deinde Sylla, qui posteà dictator, tanta sævitia in Romanos cives grassatus est, quanta in nullo hominum unquam fuit: quum præturam geretet, centum jubatos leones in spectaculo exhibuit.

Pompeius verò Magnus, quum Theatrum, quod proprio impensa construxerat, mutuatus exemplaria Mitylenensi spectaculo, conscravit, venationem exhibuit, in qua leones circiter quingenti lacerati sunt, & elephantes nonnulli quàm maximi; quod quidem spectaculum horrendum omnibus Italis visum est. Nunquam enim tantam evisceration em, ac carnificinam viderant. Præbuit etiam idem Pompejus in Circo maximo leones trecentos quindecim, Cajus autem Cæsar quadringentos.

M. Antonius post Pharsalicam cladem, admirandum spectaculum dedit, nunquam antè id temporis Romæ visum; leones enim jugo subactos ad currum junxit, ut heroicis temporibus in Bacchi triumphis fieri solitum fabulantur.

---

* Lepus. Lepores.

Eorum Solertia, Natura, &c.

C A Leone ferocissimo ad sagacissimum Leporem devenimus, cujus animalis encomium *Plut. in Sympos.* ponit in celeritate motus, auditus pernicitate, & indefessa vigilantia, ut qui apertis oculis dormire dicatur. Quin ita fallax hoc animal volunt, ut catulos suos, ne simul deprehendantur, variis in sulcis collocet ab invicem sejunctos, ipse quoque se involvat terræ recèns excultæ, & in sulcis se sternat supinum, ita ut transeuntes fallat, cum dorsum habeat pulli coloris, unde versus:

Quem fuga non rapit ore canum, non occulit umbra,
Concolor immotum sub Jove terra tegit.

Annotarunt veteres, lepores omnes utriusque esse sexus; tamen experientia docet, in iis quoque mares distingui, licèt in nullo genere tot sint hermaphroditi, quàm in isto.

Hostem naturali propensione infestum sibi habet Canem. Quin *Mystagogum apud Io. Bodinum* recenset, leporem in littore Siculo, qui evaserat solertiam canum, in canem marinum incidisse. Unde illud *Martialis*:

In me omnis terraque, aviumque, marisque rapina est.
Forsitan & cœli, si canis astra tenet.

Et notat Heresbachius, leporem in propinquo esse, si canes caudam moveant, & vestigia accuratiùs sectentur.

Generà.

D Varro, teste *Pierio in Ieroglyphicis*, tria ponit leporum genera, unum Italicum, primis pedibus humilibus, posterioribus altis, parte superiore pulla, ventre albo, auribus oblongis. Alterum genus Gallicum, idque plurimùm candidum, quales passim Alpes Noricæ producunt. Tertium Hispania gignit, similes nostratibus, & hos cuniculos isti appellant, quomodo *Plin.* dixit *l.8.cap.55.* Cuniculus est parvus lepus.

Astutia.

Astutiam in hoc notavimus, quòd terræ se involvat, ut illius colorem mentiatur, & in sulcis se abdat, auribus in cervicem reflexis. At non minor ea est, quam in depellendis pulicibus adhibet. Cum enim se sentit iis infestari, lanam aut fœnum congerit, & ore excipit; tum se retrorsum, ac paulatim aquæ immergit, ut pulices inter pilos delitescentes sursum ascendant; qui ubi ad caput usque serpserunt, ut aquis se eripiant, ille etiam caput sensim immergit, ut omnes in lanam, aut fœnum quod ore tenet, se recipiant, nulloque ampliùs serpente, dimittit, quod ore retinebat, & fugam capessit. Quod ita se habere, plures oculati testes adfirmant.

Præsagia et Eventus.

E Veterum superstitio hic etiam sinistri aliquid intervenire existimavit, si lepus occurreret, aut semitam transiret. De quo pleraque *in Loco de Divinatione*. At vanam istiusmodi observationem Catholici sciunt, & impiam, licèt aliquando Dæmon sub forma animalis ludibria sua exercuerit.

Quippè in obsidione postrema Magdeburgensi, ingens leporum caterva in castris, & urbe conspiciebatur; quique eos insequebantur, vel capti, vel malè multati fuerunt.

Ita *Pierius* refert, Arnulpho Rege, qui Berengario opem tulerat, Romam oppugnante, excitum è latebris leporem militum clamore fuisse, urbemque versus cursum arripuisse, quem cum toto agmine milites insequerentur, Romani, qui montium præsidia tenebant, urbem eo impetu petiverit, cum se impares scirent, desertis mœnibus ad infimam urbem se propriquere. Gostis occasione accepta in locum præsidiatorum venit, urbeque potitur. *Sigebertus.*

Plut. in vita Cimonis narrat, leporem in terræ motu maximo, qui Spartæ eveniebat, multos conservasse; nam cum ephebi, & juventutis flos in porticu exercerentur, fortè lepus prætercurrit, quem cum adolescentes insequuntur, Gymnasium concutitur, & ruit. F

Infelicior fuit conspectus leporis, de quo *Iacobus Meyerus l.2.annal.Fland.* Paulò enim antè prælium inter Gandenses & Brugenses, acceperunt hi pro omine infelici, quòd lepus per medias stationes transiret. Expaluit eo conspecto Rargerus Brugensium ductor, & paulò pòst à Gandensibus, licèt numero inferioribus, victus fugatusque fuit.

Quod autem de Dæmonis ludificationibus diximus, confirmat historia aliàs ridicula, quam narrat *Froisardus*. In castris, inquit, Philippi Vallesii, & Edovardi III. condicto die pugnæ, lepus ante Gallorum castra excurrit, tantumque excitavit stuporem, ut postremi audientes, & initium pugnæ cogitantes, arma expediret. Quidam autem Hippocomi optimè animati equestrem ordinem primi postularunt. Cæterùm Edovardo Rege re infecta discedente, hi Equites leporis deinceps sunt appellati. *Lib.2. Comneni, de rebus Gallicis.*

☞ *Consule Tit. de Loco materialiter considerato. Item de Paupertate, ubi per Lepores pauperes facti.*

Symbola.

Lepus inter animalia immunda recensetur, *Levit.cap.11.* neque enim ungulam findit, sed habet ungues varios, & aculeatos. *Clemens Alexand.* ob summam libidinem vetitum censet, cui hoc animal obnoxium; nam simul concipit, & parit fœtus, cum habeat utrumque sexum, sitque ad alterum incubus, ad alterum succubus, ut *Niphus* scribit.

Legatur *Gesnerus tomo de Quadrupedibus*: ideòque Hebræi leporem vocant *Arnebet*, in fœminino genere.

Lepus autem significat acediam, propter innatam illi timiditatem, quæ fortitudini opponitur.

Novatianus lib.de cibis Iudaicis, c.3. dicit, Leporem significare viros effeminatos, & degeneres.

Usurarii quoque imaginem gerit Lepus; nam ut *Plut.* ait, Lepus simul parit, & alit fœtum, & simul superfœtat. Ita fœnerator æs alienum dans mutuum, statim petit fœnus, illudque tellens, rursum fœnerat, quod pro fœnore accepit.

---

* Lepra. H

Definitio et Etymologia.

L Epra est morbus vel vitium, in cute magis, quàm carne residens. Unde *Galenus* dicit, Lepram esse vitium cutis leviusculum, adeò simile scabiei, ut vix ab eo discernatur. Quamvis non semper sit morbus naturalis, sed nonnunquam ex speciali occasione à Deo immittatur, ad puniendà graviora delicta, quomodo olim Judæis persæpè accidit.

Dicitur Lepra à λεπρὸς, id est, scaber, asper, scabrosus.

Nomina, et Species Variæ.

Varia hujus morbi nomina reperiuntur. Dicitur namq; apud Græcos potissimùm Elephantiasis, quòd scilicet cutem affecti hispidam, tuberosam, asperam reddat instar Elephantis: Leontiasis, quasi morbus Leoninus, quia facit oculos scintillantes, frontemque caperatam instar Leonis rugientis: Satyriasis, quòd affecti hoc morbo, ob continuum pruritum teneantur desiderio venerem exercendi: Morbus Herculeus, quia ita sit vehemens, & pertinax, ut Herculeo robore opus habeat ad sui expulsionem: Cancer universalis, quia totum corpus depascitur. Qua-

A Quatuor à Medicis numerantur Lepræ species, easque notatim *Levitico c.13.* asserit *Franc. Valesius* Medicus excellens *lib.de sacra Philosophia, c.19.* Prima est Impetigo vel lepra volatilis, quia serpit per partes, & Barras ab Arabibus appellatur, gignitque ex pituita salsa, & melancholia. Cujus signum Scriptura indicat, si pili in album colorem mutentur, & ipsa lepra cutis reliqua sit humilior. *Versu 3. cap. eodem 13.*

Versu verò 7. altera significatur species lepræ, recurrentis postquam semel curata est: quod signum est, corpus esse valdè propensum ad istiusmodi vitium, unde & deformatur maculis.

Tertia species insinuatur *vers.10.* Lepra scilicet inolita, quæ est in viva carne, cum prior in cute, & capillis fuerit. Caro enim evadit alba, modumque substantiæ carneæ amittit, & coincidit cum elephantia, præsertim si carnem depascatur.

Est alia Lepræ species, quam Scriptura vocat mundissimam, *vers.12.* id est minimè contagiosam scabiem, discurrentem per totum corpus, quæ magis est expulsio quædam naturæ, quàm vitium, nisi fortè in una parte residet, cujus vitium argueret.

B

Causæ Lepræ.

Causæ Lepræ, ut & aliorum morborum, sunt Primitivæ, Antecedentes, Conjunctæ. Primitivæ aut evidentes sunt, mala diæta, sive error in sex rebus naturalibus. Aer enim crassus & nebulosus nimis excalefactus, potens est generare Lepram; unde ii qui in locis maritimis habitant, huic malo magis quàm cæteri obnoxii sunt. In Judæa, Ægypto, & circa Alexandriam hic morbus velut Epidemius. Cibi etiam crassiores, qui multùm gignunt melancholici humoris, etiam apti sunt ad hujus generationem. Timor & tristitia insuper perturbant sanguinem, vidimusque complures, qui nimio metu, & pavore, primùm melancholici, deinde leprosi facti sunt. Accedit retentio excrementorum, aut alius alicujus evacuationis, cujusmodi sunt menstrua, hæmorrhoides etiam causare possunt hanc intemperiem. Ad summum omnis vitæ ratio, quæ vel generare, vel retinere apta est humorem melancholicum, inter causas evidentiores Lepræ referri potest.

Accedit contactus, & cum leprosis conversatio, adeòque C sola inspiratio, quæ causare potest lepram, & superioribus annumeranda venit. Vitium seminis genitalis, inter causas certissimas referendum est; nec enim dubitari debet, si quæ contagio aut radix sit in semine parentum, quidquid inde generatur, leprosum futurum. Quamvis autem maluna hoc primis annis se non exerat, ad extremum tamen prodit se, & propagatur in tertiam, & quartam generationem. Si contingat mulierem concipere durante fluxu menstruo, nascetur infans valetudinarius, fortassis etiam leprosus, quòd sanguis in fluente muliere se habeat instar alicujus veneni. Omnibus his causis adjungi potest intemperies calida hepatis, & debilitas lienis, qui sanguinem melancholicum expurgare non potest. Causæ antecedentes sunt humores ita dispositi, ut aduri queant. Conjuncta est humor adustus, & atrabilaris, spartus per totum corpus.

Signa et Habitudo.

Quæ à toto corpore petuntur signa, hæc sunt, color in nigrum & lividum vergit, ob causam alimenti quod ejusdem est D coloris. In toto apparent tubera, rugæ, lichenes, rimæ, ulcerationes, squamæ, & totius cutis squalor. Sentiunt perpetuò prurium quendam, quasi aculeis pungantur per totum corpus, pellis frigidiusculo exposita aeri contrahitur, & asperatur, ut cutis anseris deplumati: si aqua eos conspergas, apparebunt velut uncti; ingeicunt facilè, corrumpitur aut abolletur apud eos sensus, non quidem interior, sed exterior, quòd nervi exteriores plus offendantur, & crassus ac melancholicus humor ad cutem se retrahat, qui obturando nervos, & oppilando, venas arteriasque impedit, ne spiritus liberè distribui possint.

His signis adjunge debilem, & frequentem arteriarum pulsum, urinas subtiles, lividas, albas, cinerosas: postremò observa, qualis sit sanguis, niger, an instar plumbi livescens, cineritius, calculosus, grumosus.

Signa quæ à partibus corporis desumuntur, apparent præcipuè in capite: cùm enim hoc omnium membrorum corporis quàm maximè expositum sit obtuni, etiam plura ibi apparent hujus morbi indicia; pili enim decidunt, quòd nutrimento destituantur; ut & ob acrimoniam excrementorum, quæ rodunt eorum radicem. Horum loco prodit tenuis quidam pilus, & tarus, instar corruptæ lanuginis, manifesta imbecillitatis signa E ostentans. Frons est caperata, & rugosa, qualis est Leonum; causa est siccitas, tuberosa ob errorem assimilationis, pellucetque interdum velut cornu, cum humor atrabilaris sit niger, instar picis. Aures apparent rotundæ, tensæ atque rigidæ, ob consumptionem partium carnosarum; unde ad hunc modum afficiuntur. Supercilia sunt elevata, indurata, callosa, cum aliquo tumore destitura omninò pilis, aut si qui sint, non nisi ad solem conspici possunt: quòd si vellas, hærebit in radice aliquid de carne, aut cute. Oculi fiunt rotundi, quòd musculi, eorumque pinguedo absumantur; intenti, fixique, ob exsiccationem musculorum, ut expeditè moveri non possint; rubicundi, scintillantes ignis instar, albugo in oculis apparet rubicunda, venæ circum eas inflatæ sunt, & velut varicosæ. Nares inferiùs dilatantur, & superiùs contrahuntur, cum consumptione cartilaginis interioris, Polypo & fœtore. Os præbet indicia in labris, gingivis & lingua. Labra sunt tumida, nigra, fissa, abjecto omni colore rubicundo; gingivæ sunt rubræ, & spissæ; lingua crassa, nigra, & velut calculosa, plena tuberculis in superiore, & inferiore parte, venæque subter eam apparent inflatæ, & varicosæ. Facies in commune nigrescit, & livet, adspectu torva & horribilis, plena F tuberculis, rugis, & furfuribus. Vox rauca est, tam ob siccitatem, & inæqualitatem asperæ arteriæ, quàm ob ulcera in faucibus vicinisque partibus, quæ corrumpunt halitum, eumque reddunt malè olentem.

Circa pectus observatur, quòd mammæ increassescunt, & venæ exteriores apparent varicosæ. In manibus pedibusque cernitur consumptio musculorum, rarefiunt eæ cum primis partes, quæ thenar, & hypothenar appellantur, quæ magis conspicuæ sunt, cum musculi hic sint evidentiores. Ungulæ sunt nigræ, & lividæ, cum stupore & torpore circa extremitates. Membrum virile maximè ex parte inflatum est, rigidum, tensumque, cum vehementi congressus desiderio; unde à veteribus hic morbus vocatur Satyriasis. Has causas recenset *Laurentius Ferrier. med. Reg. Christ. in nupero suo de Lepra tractatu.*

* ENORMITAS ET HORROR LEPRÆ.

Nullus inter omnes morbos, qui humanum corpus affligunt, est magis enormis, & horridus quàm Lepra, quæ ideò mors Civilis à nonnullis appellatur, quia ea infectus, separatur ab hominum societate, quasi ea non foret dignus. Fuitque usitatum apud omnes nationes, ut leprosi ab omni hominum commercio separarentur. Alibi tamen, ut apud Belgas, extra civitatem habitare compelluntur, & nonnisi certo signo distinctivo hominum se societati ingerere. Ægypto & Judæis frequentissimus hic morbus. Italis ignotus usque ad Cnei Pompei tempora. Hippocratis ævo paucissimi fuere, neque ullus eo infectus Hippocrati visus, fortassis ob aeris temperamentum, aut moderatam ævi illius vivendi rationem. Hodie per Europam frequentior, tum propter intemperantiam, tum propter neglectam moderationem in cibo, potu, venere; cujus etiam lues persæpè non ex arte curatur.

LEPRA VETUS JUDÆORUM.

An eadem cum prioribus speciebus?

Judæorum lepra olim erat magis deformitas quædam, quàm H morbus, ac in cute plerumque apparebat. Hæc autem etiam carnes, & ossa depascitur. Eratque curabilis, non ita nostra & magis coloris vitium erat, quàm valetudinis, aut integritatis, sive sensuum, sive membrorum; unde Leprosi non sanari, sed mundari dicebantur.

Denique apud Judæos, vestes & domus lepra inficiebantur, ut patet: *versu 29. cap. 14. Levit.* nunc autem nulla talis est lepra.

Erat autem lepra illa nihil aliud, quàm qualitas vitiosa in domibus, eas arrodens & depascens, uti & in vestibus. Cujus signa, & curatio, eodem capite insinuantur.

* LEPROSORUM EXEMPLA

Ex S. Scriptura.

Giezi famulus Elisei, cum omni sua progenie lepræ morbo affectus, propter accepta à Naaman Syro munera. *4. Reg. cap. 5.*

Aza-

A Azarias, sive Ozias, Judæorum Rex, cum in templum ad adolendum incensum ingressus esset (quod tamen munus sacerdotibus solis à Domino commissum fuerat) ab Azaria Pontifice cum 80. sacerdotibus reprehensus, indignè id tulit. Interim terræmotus vehemens exortus, & mons propè Enrogen scissus, & splendor insolitus templum replevit, ipsisque spectantibus lepra in fronte percussus Rex, temploque exturbatus, ad mortem usque leprosus fuit, & seorsum habitavit, Joatham F. res omnes procurante. 2.*Paralip.26.& Joseph.lib.9. Antiq.cap.11.& Hieron. in Amos, cap.1.*

Leprosi quatuor Israelitæ ante portam Samariæ degentes, cum illa obsideretur à Syris, famis causa ad Syros transfugere statuerant, ut vel occiderentur, vel suscepti alerentur. Noctu ad castra transgressi, Syrios omnes pavido terrore divinitùs incutiso fuisse compererunt. Itaque ad prædam conversi, multa abstulerunt, & absconderunt. Rem inde Joram regi indicarunt, qui Syros in insidiis latentes suspicatus, posteaquam reverà eos fugisse comperit, castra eorum invasit, & diripuit. 4.*Reg.7.*

Historica.

B *Manethon, Cherephon, & Lysimachus* historici multa nuntiant de exitu Israelitarum ex Ægypto, colluviem nimirùm eam fuisse leprosorum, & scabiosorum, qui regio edicto finibus excedere jussi, Pastoribus (qui tyrannidem occuparunt) se conjunxerint, & annis 31. post magno labore ex Ægypto pulsi, in Judæam venerint. Quorum tamen errores, & mendacia *Joseph.lib.contra Manethonem* pulchrè confutat.

Apud Persas, si quis è civibus lepra infectus sit, in civitatem non admittitur, quoniam dicunt, hunc morbum illi immissum, eò quòd contra Solem aliquid deliquerit. *Herodotus lib.1.*

Eunomius præsul Cyzicenus, Arianæ hæreseos sectator sub Valente Imperatore, lepra & morbo regio laboravit. *Ravisius.*

Habent Australes ex atra bile, quòd lepra laborant; qui propterea morbus Punicus à veteribus appellatur, non propter ruborem (cùm Australis lepra judicio Moysis, & Plinii, nihil habeat ruboris) sed quoniam illinc originem habet. Illinc etiam C morbus Arabum, qui ἀλφὸς à quibusdam, ab aliis λεύκη & vitiligo appellatur. Nam ante Pompejum Magnum nullos Italia viderat leprosos, *teste Plinio*, quem morbum Ægypto peculiarem esse tradit. Argumento sit, quòd Moyses omnium antiquissimus scriptor, leges de leprosis infinitas, Græci ac Romani nullas tulerunt. Et quidem in eo consentiunt Leo Afer, & Alvaresius; nam alter ædes infinitas in utraque Mauritania leprosis constituit, alter leprosos Abissinorum cum populo versari scribit, ut vulgaris morbus esse videatur.

Froilla II. Alfonsi Magni filius, Ordonii fratris liberis exclusis, in se principatum Asturum transtulit. Sed uno pòst anno duobusque mensibus, lepræ morbo correptus interiit. *Tarapha de regib. Hispan.*

Genovefam Parisiensium præsidem, *Volaterranus* ait, ob vitæ abstinentiam, multis annis ex lepra laborasse. *Ravisius.*

Anno sal.615. Augusto mense, indictione tertia, terra ingenti motu contremit. Terræ motum fœdissima lues est consecuta. Hoc erat scabiei genus, Elephantiæ nomine appellatum, quod affectorum ora adeò lacerabat, ut viventes, ne- D dum mortui, haud possent dignosci. Quo tempore Bonifacius IV. Pp. Rom. cum obvio Elephantico homini osculum obtulisset, extemplò pristinæ illum sanitati restituit. *Sigonius lib.2.reg.Ital.*

Sub Phoca Imp. & Pontificatu Deusdedit, terræmotus accidit, & scabies elephantiæ passim grassata est. *Platina libr. Pontif. Luitp.*

Balduinus Armerici F. rex Jerosolymorum, etsi lepra ac quidem vehementi laboravit, regnum tamen constantissimè ac prudentissimè administravit. *Platina.*

Huccatus Æthiopum Rex, cum Iphigeniam Christo dedicatam virginem nulla ratione in matrimonium suum pertrahere posset, monasterium, in quo habitabat, cremari præcepit. Sed flammæ statim in ejus palatium converse, totum absumpserunt. Demùm horrida lepra percussus, cum nulla foret medendi occasio, sese mucrone proprio interemit. *Guido Bitur.*

Quidam provinciæ Narbonensis accolæ lepra correpti, regnante rege Philippo Pulchri F. deprehensi sunt, sanie è suis corporibus manante, aliaque tabe clam puteos inficere, ut ad universum populum, qui ipsi laborabant, lepra transiret, idque E Judæorum impulsu factum esse. Sed re patefacta, omnes vivi in suis domibus combusti fuerunt. *Fulgos.l.9.c.12.*

Curatio Varia.
Ex S. Scriptura.

Maria soror Moysis, cùm fratrem ob ductam uxorem Æthiopissam acerbiùs reprehendisset, à Domino ad oraculi tabernaculum evocata, & reprehensa, post illius digressum leprosa apparuit, nivique similis. Intercedente autem Mose, post septem dies, quibus castris exclusa fuit, sanitati restituta est. *Num.12.*

Naaman, Dux exercitus Benadad Syriæ regis, leprosus erat & cum à puella Israelitide serva audivisset, Samariæ prophetam esse, à quo curari posset, cum magnis muneribus eò venit. Elisæus eum se septies in Jordane fluvio immergere præcepit. Naamen ridere primò, sed tandem persuasus amicorum precibus, paruit, seque septies in Jordane mersit, & sanitati restitutus est. Magna inde Eliseo munera obtulit, at propheta respuit. Ergo Naaman tertæ duorum mulorum onus sibi concedi petiit; neque enim ullis se Diis, nisi Domino, tem divinam facturum; petiitque veniam, quòd cum rege suo in ædem Remmonis ire, & dum rex manui suæ inniteretur, ipse se submittere cogeretur. 4.*Reg.5.* F

Christus Jesus Leprosum de monte descendens in Galilæa curavit. *Matth. 8. Luca 4.* Leprosum alium manu extensa mundavit, præcepit tamen ei, ne cuiquam hoc diceret. *Matthei 9. Luca 5.* Per Galilæam, & Samariam iter faciens, decem Leprosos supplices ad sacerdotem misit. Illi in itinere se mundatos cognovere. Et novem quidem, qui Judæi erant, ad Christum non redierunt, sed sacerdoti se ostensum profecti sunt; decimus verò Samaritanus, citato cursu ad Christum rediit, & in faciem ad pedes ejus procidens, gratias ei submissè egit. *Luca 17.*

Historica.

D. Marcus Petri Apostoli socius, cum Romæ ageret, missus fuit ab eo Aquilejam, celeberrimam Venetiæ Urbem, quam Romani multò ante coloniam deduxerant. Quò quum ille venisset, Christo præcipuo auctore spei bonæ plenus, sub ipsum G ingressum urbis, Athaulpho cuidam adolescenti nobili lepra infecto occurrit, quem blandè primùm appellatum interrogasse fertur, An eo morbo solvi cuperet? Quod adolescens primò admiratus, mox pollicentis Marci constantiam complexus animo ad patrem Ulphium omnem rem detulit. Is verò statim ad D. Marcum advolavit, utpotè salutis filii cupidus. A quo admonitus, unum tantùm esse mali remedium, si Christum Ducem sequeretur, relictoque idolorum cultu, sacra baptismatis aqua lustraretur; accepta conditione, continuò lepra solutus est. Quod miraculum per universam urbem vulgatum effecit, ut omnis Aquileja in unum Marcum oculos mentemque converteret. *Egnatius lib.4.c.6.*

Constantinus M. devicto Maxentio, crucis sibi cœlitùs ostensæ symbolo, cum Maximinum quoque Christianis infestum opprimere cogitaret, subitò elephantiasi corripitur. Medicis omnibus desperantibus, tandem adsunt Græci, qui in Capitolio lacum ex puerorum sanguine fieri oportere asserunt, in quo si se Imperator abluerit, certò valetudinem pristinam recuperaret; id remedii genus Ægyptiorum regibus familiare esse H scribit *Plin.l.26.c.1.*) Convocantur pueri, carnifices adsunt, edictum exspectant. Non tulit matrum lacrymas humanissimus Imperator, & pueros suis matribus salvos, & incolumes donavit. Nocte proxima Petrum, & Paulum divos ad se venientes conspicit, & ut Romanum Antistitem Sylvestrum adeat, atque ex ea piscina (quam ei monstraturus esset) se lavaret, monetur. Paret, & septem dierum jejunio indicto, à Sylvestro sacro baptismate abluitur cum filio Crispo, sacro prius oleo unctus; lux interim clarissima locum illustrat, & sonus suavissimus exauditur. Constantinus ipse divinæ cujusdam manus attactum sentiens, ex leproso sanus atque salvus egreditur. *Nicephor. lib.7.cap.33.& Cedrenus.*

Cum templum in honorem divorum Dionysii, Rustici & Eleutherii, à Dagoberto extructum, consecrandum esset, cuidam leproso in eo pernoctanti visus est Christus, cum Petro & Paulo, Dionysio, Rustico & Eleutherio, per fenestram in Basilicam descendere, eamque consecrare, & quòd mandarit, ut diceret sacerdotibus, non opus esse alia dedicatione, ac in ejus rei testimonium, lepram ab homine isto sustulerit,

A lerit, & lapidi cuidam agglutinarit, ut ab aliis spectaretur. *Rob.Guagninus lib.3.*

Deusdedit I. Pontifex sub Heraclio quendam obvium, elephantiæ morbo laborantem, osculo suo à lepra statim liberavit. *Platina.*

Agatho Papa leprosum osculando sanitati pristinæ restituit, *ut Martinus narrat in Chronico, & Platina.*

Normanni adjunctis sibi Dacis omnem ferè Galliam vastabant. Metu incursionis B. Martini corpus Turone Altisiodorum deportatum est, & in Basilica S. Germani collocatum. Accidisse miraculum tum ferunt, orta inter monachos discordia, cui potissimùm Sancto nomen basilicæ adscriberetur. Leprosus in medio utriusque Sancti collocatus, ea parte sanatur, quæ ad Martinum vergebat: conversus deindè in alteram partem, virtute beati Martini integer omninò redditus est. Hoc totum à Germano hospiti suo tributum ceditur, ne de sanctitate ejus ob translationem quicquam diminutum videretur. *Platina. Fasciculus Temporum* pro Germano Liborium habet, auditamque fuisse è Martini arca vocem: Jam te ex una corporis parte mundo, reliquum fra- B trimco Liborio relinquo: semper enim sunt hospites honorandi.

Andragasina virgo, à patre desponsata Ausberto cuidam, qui domesticus erat Vandesigilli Comitis Palatini, pro tutanda virginitate Deum oravit: atque hinc lepræ morbo deformatam exhorruit sponsus, qui sanam ante adamaverat, intactamque repudiavit. Neque illa quicquam pensi fecit tam acre malum, dum multò mallet castè vivere, quàm sana. Ne autem morbi hujus causa in ambiguo esset, ut primùm professa est religionem, sana evasit. Ita palam factum est, ideò fuisse leprosam, ne esset corrupta. *Marulus l.5. c.4.*

In Eleorum agro, non longè à flumine Alcidane, graviter olente, antrum est, Anigridum nympharum incolæ appellant. Huc qui viciata aliquo vitiliginis genere cute intravit, ubi primùm nymphis ritè imploratis, nuncupatisque votis, deinde amne nando transmisso, laborantes corporis partes desticuerit, fœditatem eam oris in aquis relinquere creditur, atque inde nitidus ac tersus discedere. *Pausan.in Eliacis Prioribus.*

Elephantiasis ante Pompeii Magni ætatem non accidit in C Italia, & ipsa à facie sæpiùs incipiens, in nare primò veluti lenticula, mox invalescente per totum corpus, maculosa, variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura seu scabie aspera, ad postremum verò nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Ægyptiis peculiare hoc malum, & cum in reges incidisset, populis funebre: quippè in balneis solis temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Qui tamen morbus celeriter in Italia restinctus est. *Plinius lib.26. cap.2.*

Mentastri foliis commanducatis & impositis sanari elephantiasin, Magni Pompeii ætate, fortuito cujusdam experimento propter pudorem facie illita, compertum est. *Plinius l.20.c.14.*

Galenus lib.11. de Simplicibus med.& cap.12. de Opt.secta empirica, scribit, in Asia contigisse, ut quando messoribus afferretur vas odorati vini, id temerè positum irrepens vipera cum intrasset, ac vino distenta periisset, accesserunt mox & rustici sitim expleturi; visa autem mortua vipera, rem aversari, vinum cuidam in proximo elephantia jam compu- D trescenti sunt elargiti, conclamatam esse hominis vitam arbitrati. At is nil eorum cum rescisset, ita sese vino proluit hausitu frequenti, ut morbi attrocitatem protinùs evaserit, cutis modò discussa superficie, pellicula ejusmodi subsistente, qualem in cancris visimus, testa excusa. Idipsum & prope Pergamum evenisse, iterùm prodit idem auctor. *Cæl.l.6.c.16. A.L.*

AD JUDICIUM LEPRÆ
Necessaria.

Verum cognoscendi Leprosos medium est, ut omnia signa ad unguem nota habeamus, quæ morbum istum comitantur, tam univoca, quàm æquivoca. Primùm igitur, postquam ægrum consolatus fueris, & sacramento ad dicendam veritatem adegeris, scisciatare, quibus parentibus aut progenitoribus natus fuerit, quos habeat consanguineos agnatosque, & an inter eos aliquis sit lepræ nomine infectus; hæc enim ut diximus, quandoque in tertiam & quartam generationem propagatur; nec hoc in liberis duntaxat, sed & in nepotibus consanguineisque. Quære deindè, an aliquando cum leprosis vixerit, aut conversatus fuerit. Alterum quod quærendum, consistit in ratione victus, an usus sit frequenter cibis crassis & melancholicis, carnibus salitis, piscibus vetu- E lis & cariosis, vino crasso & substantioso; itemque quibus obnoxius sit animi passionibus, an repentino aliquo terrore correptus fuerit & tristitia. Tertiò, quære ex ipso, an aliqua evacuatio ordinaria, qualis est fluxus menstruorum, vel hæmorrhoidum, suppressa fuerit: cui morbo præ aliis sit obnoxius, an unquam laboraverit quartana, melancholico morbo, Mania Morphæa, & hujusmodi melancholicis affectibus. His enim interrogationibus Medicus vel chirurgus conjecturam aliquam assequi poterit, quòd ægri temperamentum aut constitutio in hunc morbum propendeat, adeò ut si leprosus nondum sit, paulò post fiat. *Hæc Laurent.Ferrerius libello de Lepra.*

Levitæ.

Qui, et Unde Dicti.

P*lutarchus in Symposiis* graviter delirat, quando vult, Levitas fuisse sacerdotes Bacchi, quem Hebræos coluisse fingit, & in illius honorem porcina abstinuisse; dictosque Levitas, non à Levi Patriarcha, sed à Lysio, aut Euro, quæ sunt nomina Bacchi.

Verissimum enim est, Levitas à Patriarcha Levi nomen habere, ejusque tribum per Moysem separatam jussu Dei, ut starent in conspectu Domini, eique ministrarent. Ita constat *Numer.cap.3.vers.6.* ubi Deus: Applica Tribum Levi, &c. id est, accedere jubè, & approximare. Hic enim præcipitur separatio Levitarum ad ministerium Tabernaculi, & obsequium sacerdotum: Levi enim interpretatur assumptus.

Qui Sint?

Levitæ erant prognati ex patre & tribu Levi. Electi à Deo ad munus sacerdotale, & ministerium in tabernaculo. Sic tamen, ut quidam ex iis, posteri scilicet Amram, id est Aaron, ejusque filii, sacerdotio fungerentur, & soli sacrificarent. Cæteri, puta Caath, Merati, & Gerson, qui omnes fuerunt filii Levi, his subservirent, quemadmodum Diaconi nostri Sacerdotibus. Vide de his *c.3.& 4. Num.* Quo factum, ut posterio- G res vocarentur dumtaxat non Sacerdotes, sed Levitæ: prio- G res verò Sacerdotes nuncuparentur.

Successio, et Numerus.

Antequam Levitæ in ministerium à Deo assumerentur, Primogenitis omnibus ea dignitas & prærogativa competebat; erant enim omnes Sacerdotes, ut dicetur *Loco de Primogenitis*. Hos autem Deus jussit per Moysem recenseri, *Num. c.3.v.43.* invenitque eos esse viginti duo millia, cc. LXXIII. Quorum in locum adscivit Levitas, qui etiam inventi fuerunt viginti duo millia. Cæteros enim primogenitos, qui Levitarum numerum excedebant, jussit Deus redimi, persolutis in capita singulorum quinque siclis.

Ministerium.

Ministeria Levitarum à Deo ita partita constat optimè *Num.c.3.* ut Caathitæ custodirent, & in profectione portarent vasa sacra, ut labrum æneum, arcam testamenti obvolutam velo, duo altaria, thymiamatis unum, holocaustorum alterum: candelabrum, & mensam cum utensilibus; ut patet *vers.31.ejusd.cap.*

Meratitæ & Gersonitæ custodirent, & in itinere portarent ipsas partes Tabernaculi, & atrii: Meratitæ verò H solidiores, ut bases, laminas, columnas, vectes; ut constat *vers.36.*

Gersonitæ verò operimenta mollia, videlicet vela & cortinas cum suis funibus; ut constat *vers.26.*

Caathitæ autem cæteris fuerunt prælati, quia ex Caath per Amram descenderant Moyses & Aaron, iisque præerat Eleazar senior filius Aaronis. Impendebant autem ministerium suum per vices, ut constat *Num.35.*

Ætas.

Deus, postquam subrogari fecisset Levitas in locum Primogenitorum, *Num.cap.3.* numerari jubet *cap.6.* Levitas ab anno trigesimo & suprà, usque ad quinquagesimum: nempè ut significaret, ea ætate demùm ministeriis sacris esse deputandos. Ante annum enim trigesimum apud Hebræos docere fas non erat, unde Christus, & Joannes Baptista illo expleto prædicarunt.

Quæ autem fuerit ætas requisita in Sacerdotibus, non constat ex S. litteris. Scribit *Josephus*, Hircani filium anno XVIII. functum Pontificatu; sed meritò dubitatur, an jure ita factum.

A Si enim ad communia Levitarum ministeria major ætas requisita, cur non magis ad Sacerdotium?

CONSECRATIO.

Electi & separati Levitæ à Deo, ejusq; cultui per Moysem applicati, consecrabantur certo ritu, qui describitur *Num. c.*8. Primùm enim aspergebantur aqua lustrationis, sive expiationis, quæ mista erat cineribus vaccæ rufæ, de qua *cap.* 1. *Epist. ad Heb.*

2. Radebantur ipsis pili carnis suæ.

3. Lavabantur eorum vestes.

4. Offerebant boves duos, unum immolabant pro peccato, alterum in holocaustum.

5. Moyses eos collocabat, aut sistebat in Tabernaculo coram omni populo.

6. Filii Israel suas manus illis imponebant.

7. Aaron eos elevabat ad quatuor mūdi plagas in modum Crucis, ut significaret, eos offerri Deo, qui totius mundi est Dominus; eratque hic ritus Tenupha dictus, fitque illius mentio *Levit. c.7. vers.*30.

8. Levitæ imponebant bobus immolandis manus suas.

B HÆREDITAS ET POSSESSIONES.

Levitis nullam licebat adire hæreditatem, ut qui ipsum Deum hæredem sibi datum haberent: nihilominùs eis dabatur habitatio, ut colligitur luculenter *ex c.*35. *Num.* Ubi Deus illis jubet dari urbes & agros ad habitandum, & pecora sua alendum. Fuerunt eæ numero XLVIII. ut patet *Josue cap.* 21. In quarum una ferè erat tabernaculum, quò etiam singuli cum vices ministrandi recurrebant, se conferebant, iisque expletis revertebantur. Erantque hæ urbes & suburbana earum, Levitarum possessio sempiterna, sic ut in Jubilæo ad eosdem tanquam dominos redirent, ut videre est *Levit. c.*25.

Suburbana autem hæc dabantur Levitis ad mille passus circumcirca urbes ipsorum, idque pro pabulo pecorum.

Quod autem dicitur, Levitas non potuisse possidere agros &c. intelligitur de Judæa, intra quam id non potuerunt. Extra Judæam enim fundos æquè ac alii habere, emere & possidere poterant. Tantùm enim in divisione terræ Sanctæ, quæ facta est per Josue, Levitæ cum aliis tribubus sortem suam non acceperunt. Unde Barnabas in Cypro, & alii Levitæ alibi, habuerunt possessiones suas, & 3. *Reg.* 2. dicit
C Salomon ad Abiathar sacerdotem: Vade ad agrum tuum. Jeremias quoque sacerdos erat, & tamen fatetur se emisse ac possedisse agrum, *c.*32. *Actor.* quoque *cap.*4. dicitur, Barnabas Levita agrum in Cypro vendidisse.

CUR PRÆ ALIIS ELECTI.

Posthabitis Hebræorum primogenitis, delegit tribum Levi ad sacerdotium, & cultum sui in tabernaculo; idque primò, ob zelum quo tribus hæc ulta est injurias Dei, occidendo Idololatras vituli aurei: *Exod.*32. & 29. atque hoc est, quod Levi & Levitis dicitur *Deuter.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro vos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt, &c. ponant thymiama, &c.

Secundò, quia tribus Levi erat cæteris minor, ideòque ali facilè poterat à populo.

His de causis jus sacerdotii, quod ipsi Ruben debebatur, utpotè Primogenito Jacob, in pœnam incestus ab eo commissi, translatum est in Levi, uti jus regni & primatus inter fratres, ab eodem Ruben translatum est in Judam: Jus verò
D duplicis hæreditatis, quod erat propriè jus primogenituræ, translatum est in Joseph, puta in Ephraim & Manasse Josephi filios, ut colligere est 1. *Paralip.*5.

☞ *De possessionibus Levitarum eorumque Civitatibus, &c. require Locum de Sacrificio, & Sacerdotibus.*

---

* Lex. Legislator. Leges.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LEx Græcè Νόμος, secundùm *Isidorum 2. Etymol. cap.*10. à legendo dicta est, eo quòd ex scripto legatur. *Cicero* tamen 1. *de legibus*, dicit, à legendo, id est, deligendo deduci. Νόμος apud Græcos derivatur à verbo νέμειν, quod significat tribuere, quare ut rectè advertit *Connanus lib.* 1. *Comment. Juris cap.*8. Jus quod lex dicitur, meritò vocatum est jus positum, quod Theologi appellant positivum: eo quòd non natura, sed hominum instituto & delectu inventum & positum sit. Quamvis legem latiùs accipiant Theologi, ut patebit ex dicendis. Sunt qui à ligando legem derivent, quia scilicet ad sui observationem obliget, & adstringat. E

Lex Hebræis *Dath*, id est, decretum, edictum, constitutio appellatur. Item vocatur *Torah*, quasi ordo, dispositio, inquisitio, à *Tor*, id est, exploravit, inquisivit.

Ejus autem definitiones sunt variæ apud varios: paucas dabimus è multis.

Lex est constitutio populi, in qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt, *ut habetur dist.*2. *Lex.*

Lex est regula & mensura actuum agendorum, vel omittendorum. *Ex B.Thom.* 1.2. *q.* 90. *art.*1.

Lex est dictamen rationis practicæ, *secund. B.Thom. in* 1. 2. *q.*61. *art.*1. A lex veniunt illex, & exlex, qui sine lege vivit: & legislator, & legifer, qui legem tulit.

Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis Reipubl. sponsio. *Papin. l.*1. *definit.*

Νόμος ἐστὶν ᾧ πάντας ἀνθρώπους προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστὶν νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, F δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων· ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει.

Lex est, cui omnes homines decet obedire propter multa & varia; & maximè quòd omnis lex est inventio quidem & donum deorum, dogma autem hominum sapientum: coercitio autem voluntariorum, & involuntariorum peccatorum, civitatis compositio communis, secundum quam omnes decet vivere, qui in civitate sunt. *Demost. Arist. orat. priore.*

Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα· καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων· προστακτικὸν μὲν, ὧν ποιητέον· ἀπαγορευτικὸν δὲ, ὧν οὐ ποιητέον.

Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem, eam etiam præstare & bonos & malos, & principem & ducem esse: & secundum hoc regula est justorum & injustorum, & eorum quæ natura civilia sunt; preceptrix quidem faciendorum, prohibitrix autem non facien- G dorum. *Chrysip. de legib.*

Lex est regula, per quam omnia totius mundi negotia & animalia politica reguntur.

Lex est princeps, cui obedire debemus: est dux, quem sequi congruit: est regula, quam faciendis quibuscumque applicare decet. *Arist.*3. *Polit.* Lex non est tantùm donum Dei, sed ipse Deus, qui donum dedit, quia qui paret legi, Deo paret & obtemperat.

Lex est communis civitatis consensus, qui scriptis precepit, quomodo unumquodque agendum sit. *Arist. de causis civilibus.*

S. Th. Aquin. 2.2. *q.*90. *art.* 1. legem definit, quòd sit quædam regula & mensura, secundum quam aliquis inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur: at hæc definitio lata est, comprehendens consilium, & præceptum.

Undè propriissimè lex definitur, mensura actionum humanarum, dirigens illas in bonitate, vel malitia morali.

Alioquin lex aliquando accipitur, ut significet inclinationem naturalem rei cujusque. Item pro regula vel mensura quidquam operandi vel omittendi. Vide propriam definitio- H nem infrà, ubi de requisitis ad legem agitur.

* DIVISIONES.

Plato *in Timæo & Phædro* ponit quadruplicem legem, Divinam, Cœlestem, Naturalem, & Humanam. Secundam Theologi non admittunt: intelligit enim Plato necessitatem quandam operandi, sive fatum proveniens ex motu cœlorum.

Lex divina apud Platonem, est gubernatrix, ratio universi in Dei mente existens, quam Theologi quoque agnoscunt, sed appellant legem æternam, quæ divina dicitur, sive quòd in ipso Deo sit, sive quòd ab ipso fertur immediatè, licèt extra ipsum sit. Priorem rationem agnoscit Plato, & Theologi.

Itaque exhinc primam legis divisionem eruunt Theologi, in Æternam & Temporalem, nempè quæ in tempore fertur, unde & creata dicitur: nihil enim extra Deum est æternum.

Lex creata in Naturalem, & Positivam dividitur, eamque divisionem admittunt cum Gentiles, tum Christiani. *Cicero lib.*1. *de legat. Aristot.* 5. *Ethic. cap.*7. *in Jure Civili quoque, l.*1. *ff. de Justitia & Jure.*

A Cæterùm Lex naturalis non eodem modo ab omnibus usurpatur. Plato eam vocat naturalem inclinationem rebus inditam à suo Creatore, qua singula tendunt ad proprios actus & fines.

Jurisperiti etiam hanc omnibus animalibus communem faciunt. Theologi tamen eam vocant, quæ insidet humanæ menti ad discernendum honestum à turpi; & D. Thom. dicit esse participationem legis æternæ in creatura rationali, *supra q.*91. *art.*1.

Est ergo dictamen ipsum rationis, quod cum natura homini datur, & quo judicat, quid bonum aut malum. Distinguunt autem duplicem legem naturalem: aliam naturalem simpliciter respectu hominis, prout consideratur secundum lumen rationis illi connaturale: aliam, quæ licèt sit supernaturalis respectu hominis considerati juxta naturam gratiæ desuper infusæ, ac lumen fidei supernaturale, per quod in statu viæ regitur, etiam naturalem, eò quòd gratia habeat suam naturam, & propriam essentiam. Positiva lex dicitur, quæ innata non est cum natura, vel gratia, sed ultra illas, ab aliquo principio extrinseco potestatem habente est posita, est-
B que ea nominis ratio.

Positiva autem lex alia est Divina, alia humana. Divina positiva dicitur, quæ ab ipso Deo immediatè lata est, totique legi naturali addita; estque lex non in Deo existens, sed ab illo manans, & exhibita speciali modo, ac simpliciter vocatur lex.

Humana est, quæ proximè ab hominibus inventa est, & posita; primordialiter enim omnis lex humana derivatur à lege æterna, & quoad obligandi vim, manat à Deo. Non est potestas, ait S. Paulus, nisi à Deo. *Rom. cap.*13. Est nihilominùs actus hominis, ideò humana dicitur. Ita Plutarchus, Justitia legis est finis: Lex autem opus Principis: Princeps autem Dei simulachrum administrantis universa.

Lex denique humana, alia est Civilis, quæ à Principe aut Magistratu potestatem habente, ad politicam gubernationem ordinatur.

Alia Ecclesiastica seu Canonica, quæ sacris Canonibus & decretis Pontificum continetur; quæ etiam merè humana lex habenda est, quia per voluntatem humanam constituitur.

C Sunt insuper aliæ divisiones generaliores legis, puta in affirmantem, & negantem. Illa præcipit quid agendum: hæc vetat quid cavendum.

Item legis humanæ in pœnalem, & non pœnalem: prohibentem tantùm, & insuper irritantem, quæ voces per se notæ sunt.

* AD LEGIS ESSENTIAM QUÆ REQUIRANTUR.

Ad rationem legis requiritur, præter actum voluntatis, & intellectus in legislatore, quo vult subditos obligare ad quid agendum vel omittendum, & suam voluntatem iisdem insinuat, ut sit communis, id est hominum communitati imposita, & multitudini politicæ; ac feratur pro bono communi, sive tale sit per se primò, sive per redundantiam.

Tertiò, requirit in ferente publicam potestatem, & superioritatem in eum cui præcipitur.

Quartò, debet præcipere justa, nec ulli inferre injuriam, neque deviare à præceptis legis naturæ.

Quintò, debet esse perpetua, unde à mandato secernitur; estque hæc perpetuitas nihil aliud, quàm quædam legis stabi-
D litas, ad quam spectat, ut habeat suum esse cum labore & efficacia obligandi ita fixum & permanens, quantum est ex vi suæ constitutionis, ut de se semper valeat obligare.

Sextò, exigitur promulgatio sensibilis, ita publicè, tantaque mora temporis facta, ut moraliter possit ad notitiam subditorum pervenire; aliàs non obligabit.

Ex his colligunt perfectam legis definitionem, quam tradit S.Thom. *suprà, art.*4. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.

* CAUSÆ, ET EFFECTUS.

Causæ legis ex supradictis nullo negotio eruuntur. Efficiens namque est is, qui jurisdictionem & potestatem habet. Materialis, quasi subjectiva, est intellectus aut voluntas: objectiva verò res honesta quæ versetur circa subditos. Formalis est modus quo fertur, sive promulgatur. Denique finalis est commune bonum.

Idem quoque commune bonum est effectus legis, sive facere subditos bonos, ut docet S. Thom. *suprà quæst.*92. *art.*1. *Aristot.*2. *Ethic. c.*1. & quidem de lege divina dicit Apostolus, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & E bonum. *Rom. cap.*7. & hoc in omni lege obtinet, quamvis lex gratiæ superaddat vires ad bonum faciendum, quod lex per se tantummodò faciendum demonstrat.

Alius legis effectus est, inducere obligationem operandi, vel non operandi. In quem sensum *Gratianus dist.* 4. Decretum, ait, necessitatem facit, exhortatio liberam voluntatem excitat.

Numerantur autem à DD. ordinariè quatuor effectus legis: præcipere, prohibere, permittere, & punire; suntque hi præcipui ac magis usitati & necessarii, è quibus alii plerique derivantur, ut sunt taxare pretia rerum, dare formam contractibus, testamentis, &c. constituere medium in via virtutis, v.g. vetando cibos talis qualitatis in virtute temperantiæ, &c. sed ut benè *Soares l.*1. *de Legib.* omnes hi ad 4. priores reducuntur.

* OBLIGATIO.

Hæretici nostri temporis docuerunt, & etiamnum docent, justos omnes à legis obligatione eximi, idque non tantùm de lege humana, sed de omni lege. Fundamenta illorum curiosè indagat & evertit *Bellarm. lib.* 4. *de justificat.* F *cap.* 1. ubi inter alia, hanc Lutheri blasphemiam adducit, ex quoddam illius sermone: Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & bonis operibus, & tantùm attendamus ad Dei promissionem & fidem. De qua re pleraque dicentur *Tit. de Libertate*, ubi agitur *de Libertate Christiana*. Omnes homines viatores subjiciuntur legi, ita ut absque reatu illam nequeant voluntariè non servare. Estque fidei definitio, asserta in *Conc. Trid. cap.* 11. *Canon.* 18. 19. & 20. Sanè lex naturalis per se omnes obligat. Scripta quoque populo fideli data est: quomodo priùs lex Circumcisionis Abrahæ, & de non comedendo de arbore, primis parentibus in Paradiso tradita.

Post Christi in cœlum discessum omnibus injunctum recipere doctrinam Euangelicam, quæ varias leges continet. Ita enim Dominus jussit doceri, & baptizari omnes gentes, imò doceri servare omnia quæcumque mandaverat. *Matth.* 28. *Marci ult.* & Paulus testificatur omni circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ, *ad Galat. cap.* 5. Imò damnantur à Christo, qui legem charitatis & misericordiæ non servaverunt: quod valdè ponderavit G *S. August. lib. de Fide & operib. c.*15. & *lib. de octo qq. ad Dulcit. cap.* 1. & certè omnia quæ penè Christus docuit, huc tendunt, ut homo per mandatorum observationem perveniat ad regnum cœlorum: unde adolescenti quærenti, Quid faciendo (non dicit, quid credendo) vitam æternam possidebo? respondet, Serva mandata: non dicit, Crede; jam enim talis credebat.

* NECESSITAS, ET UTILITAS.

Lex non imponitur nisi naturæ liberæ, habetque pro materia actus liberos: ita ut lex ipsa æterna, quæ est Deus ipse, sua ratione legis habeat respectum liberum. Igitur supposita rationalis creaturæ productione, lex necessaria fuit necessitate finis, tam simpliciter, quàm ad melius esse. Eo ipso enim quo intellectualis creatura creata est, superiorem habet, cujus providentiæ subjicitur, estque capax gubernationis moralis, quæ fiat per imperium; unde illi connaturale est & necessarium subjici superiori, à quo per imperium dirigatur. Cumque sit ex nihilo, ad bonum aut malum flectitur: unde non modò capax est legis qua ad bonum ducatur, & à malo H arceatur, verùm etiam lex aliqua illi simpliciter est necessaria, ut convenienter naturæ suæ vivere possit. De necessitate autem singularum legum non est propositum hoc loco longiorem texere disputationem: videant, qui plura desiderabunt, *Tract. Loarez de Legibus, lib.*1. & alios qui in D. Thomam commentarios ediderunt.

Universa hominum vita, Athenienses, sive magnam urbem incolant, sive parvam, natura & legibus gubernatur: horum porrò natura quidem incerta & versatilis est, & sua cujusque hominis, leges autem communes & ordinatæ sunt, idemque præscribunt omnibus. Itaq; si natura prava est, sæpè mala capit consilia, atq; inde tales in delicta ruere facilè invenire licet: leges verò justum, honestum & utile imperant, & idipsum queritant, quod fuerit inventum; commune istud fit edictum ac proponitur omnibus par & æquale, idque lex est, cui parere decet, cum propter multa, tum maximè, quia omnis lex inventum sanè & donum est Deorum; Decretum verò hominum prudētum: recta porrò vel spontaneorum, vel culpa admissorum delictorum correctio, civitatis præterea communis